M. TULLII CICERONIS

L A E L I U S

SIVE

DE AMICITIA DIALOGUS.

EX RECENSIONE ORELLII DENUO RECOGNITA.

SELECTAM LECTIONIS VARIETATEM SUBIECIT, NOTAS PUERILI INSTITUTIONI ACCOMMODATAS, NEC NON INDICES HISTORICUM ET NOTARUM ADDIDIT

IO. BAPT. HUTTER,

VETERIS GYMNASII MONACENSIS PROFESSOR.

AUGUSTAE VINDELICORUM.
SUMTIBUS LIBRARIAE C. KOLLMANNIANAE.
CIƆIƆCCCXXXIII.

TYPIS ALBR. VOLKARTII.

PRAEFATIO.

Haec editio nova novi ad summam hoc in medium profert. Primum, summaria capitum elucubravi; deinde, synonymorum discrimina et usum particularum et quaedam grammatica[1]) docui; tum, locos complicatiores enodavi plures[2]), quosdam etiam patefeci adhuc obscuros[3]); textum denique Orellianum multis partibus refinxi. In hoc tamen vereor, id ut reprehensione careat, quod pro lectionibus conjecturae meae hic illic substitutae sunt, ut:

pag. 33. XI. §. 37: *hanc, cur sibi ignoscerem, causam afferebat* pro Vulgata: *hanc, ut sibi ignoscerem, caus. etc.*

pag. 44. XIV. §. 50: *nihil esse, quod ad rem ullam*

---

[1]) Confer p. 30. §. 34 not.: *ex quo inimicitias max. extitisse*); — p. 35. §. 41 not.: *in P. Scipione effecerint*); etc.

[2]) Cfr. pag. 5. §. 6 not.: *in Graecia*); — p. 31. §. 35 not.: *arguerentur*); — p. 34. §. 39 not.: *sequebantur C. Carbo — — acerrimus*); — p. 44. §. 50 not.: *nihil esse, quod ad — — amicit. similitudo*); p. 74. §. 81 not.: *in bestiis — — feris*); etc.

[3]) Vid. p. 20. §. 23 not.: *Verum enim*); — ibid. not.: *illorum beata mors, horum vit. laud.*); — p. 58. §. 64 not.: *tamen haec duo*); — p. 83. §. 89 not.: *qui et veritatem asp. et in fr. — impellitur*); etc.

tam alliciat pro Vulg.: *nihil esse, quod a d s e r e m u l l a m etc.*

pag. 47. XV. §. 52: *omnia semper s u s p e n s a atque sollicita*, pro Vulg.: *omnia semper s u s p e c t a atque soll.*

pag. 55. XVII. §. 61: *modo ne f a m a e turpitudo sequatur* pro Vulg.: *modo ne s u m m a turp.* etc.

pag. 60. XVIII. §. 65: *ut ne criminibus aut inferendis delectetur aut credat a l l a t i s* pro Vulg.: *ut ne criminibus aut inferendis delectetur aut credat o b l a t i s.*

pag. 65. XX. §. 71: *exaequare s e c u m inferiores debent* pro Vulg.: *exaequare s e c u m i n f e r i o r i b u s deb.*

pag. 67. XX. §. 72: *qui hac opinione non modo verbis, sed etiam o p e r a levandi sunt* pro Vulg.: *qui hac opinione non modo verbis, sed etiam o p e r e lev.* etc.

pag. 78. XXIII. §. 86: *Q u a m q u a m a multis ipsa virtus contemnitur et venditatio quaedam atque ostentatio esse dicitur!* pro Vulg.: *Q u a m q u a m a multis ipsa virtus contemnitur et venditatio quaedam atque ostentatio esse dicitur.*

pag. 90. XXVI. §. 98: *h i, fictus ad ipsorum voluntatem sermo quum adhibetur, orationem* etc. pro Vulg.: *h i s fictus ad iporum voluntatem sermo quum adhibetur, orationem* etc.

Reliquos autem locos aut novatis interpunctionibus[4]) correxi, aut lectionibus commutatis[5]). Quod etsi

---

[4]) Vid. pagg. 6. §§. 6. 7; 15. §. 18; 20. §. 23; 31. §. 35; 35. §. 39; 39. §. 45; 44. §. 50; 48. §. 53; 78. §. 86; 80. §. 87; 88. §. 96; 90. §. 98.

[5]) vid. pagg. 2. §. 2; 3. §. 4; 9. §. 11; 12. §§. 13. 14;

mendosiore in contextu a crisi non abstinui, tamen dolare, non perpolire mihi licuit. Ceterum recensionis Orellianae ab recognitione mea discrepantias sub ipso contextu adnotabam, ut integro editore illo uteretur lector. Ex eodem libro varias lectiones desumpsi; quae quanti sint, hoc docebit apographum:

I. Codex Bernensis membr. Sec. XII, multis in lectionibus cum melioribus faciens. (a.)
II. Cod. Basileensis membr. Sec. XIV. (b.), haud malus.
III. Cod. Bernensis alter membr. Sec. XV (c.), inter hos pessimus.
IV. Cd. Erfurtensis lectionibus a Wundero editis. (E.)
V. Excerpta Bedae, corrupta et inquinata.
VI. Editio Vindelini de Spira. Venetiis M.CCCC.LXX. (v.)
VII. Victoriana. (V.)
VIII. Magnoliana. (m.)
IX. Rogeriana. Lectiones contextus, (R.) commentarii. (r.)
X. Manutiana. 1555. (M.)
XI. Lambiniana. 1566. (L.)
XII. Ed. Suffridi Petri. (P.) Multa habet singularia, optima quaedam.
XIII. Graeviana major. (3.)
XIV. Lallemandiana. (Lall.), ubi in adnotatione varias lectiones affert et diiudicat.
XV. Ernestiana. (1.)
XVI. Wetzeliana.

---

16. §. 20; 20. §. 23; 22. §. 26; 28. §. 23; 32. §. 36; 39. §. 44; 42. §. 48; 46. §. 51; 48. §. 53; 57. §. 63; 58. §. 64; 62. §§. 67. 68; 64. §. 70; 72. §. 79; 73. §. 80; 77. §. 84; 78. §. 86; 80. §. 87; 84. §. 90; 88. §. 96; 92. §. 99; 97. §. 104.

XVII. Schuetziana, (2.)
XVIII. Gernhardiana, omnium adhuc praestantissima. (G.)
XIX. Hujus censurae Moseriana Heidelberger Jahrbücher. 1826. p. 973) et egregia illa Goerenziana, quae fere editionis instar est (Jahn Jahrbücher Bd. 2. p. 291.)
XX. Billerbeckiana.
XXI. Nobbiana, (N.)
XXII. Beieriana minor. (B.)

Ut autem ab Orellio contextum, sic a Gernhardo, Beiero aliisque notas solebam mutuari. De erratis, haud paucis, cum typographo ut querare, hortor rogoque.

Scribebam Monachii X. Kal. Novembres M.D.CCC.XXXII.

SENTENTIAE DIALOGI PRINCIPALES.

Quinto Mucio augure domi in hemicyclio sermonem Laelii de amicitia tradente, Tullius auditor sententias disputationis memoriae mandaverat*). Ex his postea tamquam staminibus hunc dialogum contexuit; quas excerptas pro argumento libelli hic libet inserere.

Ex omnibus seculis vix tria aut quattuor nominantur paria amicorum. IV. §. 15.

Amicitiam omnibus rebus humanis anteponatis. V. §. 17.

Nisi in bonis amicitia esse non potest. V. §. 18.

Ita nati sumus, ut inter omnes esset societas quaedam. V. §. 19.

Est amicitia nihil aliud, nisi divinarum humanarumque rerum cum benevolentia et caritate summa consensio. VI. §. 20.

Virtus amicitiam et gignit et continet. ibid.

Quanta vis amicitiae concordiaeque sit, ex dissensionibus atque discordiis percipi potest. VII. §. 23.

Non propter imbecillitatem atque inopiam desiderata est amicitia. VIII. §. 26.

Amor princeps est ad benevolentiam conjungendam. ibid.

---

*) Cfr. I. §§. 2. 3.

Confirmatur amor et beneficio accepto et studio perspecto et consuetudine adjuncta. IX. §. 29.

Verae amicitiae sempiternae sunt. IX. §. 32.

Nihil difficilius est, quam amicitiam usque ad extremum vitae permanere. X. §. 33.

Videndum, quatenus amor in amicitia progredi debeat. XI. §. 36.

Nulla est excusatio peccati, si amici causa peccaveris. XI. §. 37.

Haec lex in amicitia sanciatur, ut neque rogemus res turpes, nec faciamus rogati. XII. §. 40.

Haec prima lex amicitiae sanciatur, ut ab amicis honesta petamus, amicorum causa honesta faciamus. XIII. §. 44.

Bonis inter bonos quasi necessaria benevolentia est; qui est amicitiae fons a natura constitutus. XIV. §. 50.

Non tam utilitas parta per amicum, quam amici amor ipse delectat. XIV. §. 51.

Multorum opes praepotentium excludunt amicitias fideles. XV. §. 54.

Sunt in amicitia fines et quasi termini diligendi. XVI. §. 56.

His finibus utendum, ut, quum emendati mores amicorum sint, tum sit inter eos omnium rerum, consiliorum, voluntatum sine ulla exceptione communitas. XVII. §. 61.

Sunt firmi et stabiles et constantes eligendi. XVII. §. 62.

Firmamentum stabilitatis constantiaeque ejus, quam in amicitia quaerimus, fides est. XVIII. §. 65.

Simplicem et communem et consentientem, qui rebus eisdem moveatur, eligi par est. ibid.

Addendum eodem est, ut ne criminibus aut inferendis delectetur, aut credat allatis. ibid.

Accedat huc suavitas quaedam oportet sermonum atque morum. XVIII. §. 66.

Nunquam amici novi, digni amicitia, veteribus sunt anteponendi. XIX. §. 67.

Maximum est in amicitia, superiorem parem esse inferiori. XIX. §. 69.

Inferiores non debent dolere, se a suis aut ingenio aut fortuna aut dignitate superari. XX. §. 71.

Tantum cuique tribuendum, primum quantum ipse efficere possis; deinde etiam, quantum ille, quem diligas atque adjuves, sustinere. XX. §. 73.

Amicitiae, corroboratis jam confirmatisque et ingeniis et aetatibus, judicandae sunt. XX. §. 74.

Ne intemperata quaedam benevolentia impediat magnas utilitates amicorum. XX. §. 75.

In omni re considerandum est, et quid postules ab amico, et quid patiare a te impetrari. XX. §. 75.

Ne nimis cito diligere incipiant, neve non dignos. XXI. §. 78.

Digni amicitia sunt, quibus in ipsis inest causa, cur diligantur. XXI. §. 79.

Verus amicus est tamquam alter idem. XXI. §. 80.

Par est, primum ipsum esse virum bonum, tum alterum similem sui quaerere. XXII. §. 81.

Virtutum amicitia adjutrix a natura data est, non vitiorum comes. XXII. §. 83.

Quum judicaveris, diligere oportet; non, quum dilexeris, judicare. XXII. §. 85.

Una est amicitia in rebus humanis, de cujus utilitate omnes uno ore consentiunt. XXIII. §. 86.

Sine amicitia vita est nulla. ibid.

Est varius et multiplex usus amicitiae, multaeque causae suspicionum offensionumque dantur, quas tum evitare, tum elevare, tum ferre sapientis est. XXIV. §. 88.

Et monendi amici saepe sunt, et objurgandi, et haec accipienda amice, quum benevole fiunt. ibid.

Nulla in amicitiis pestis est major, quam adulatio, blanditia, assentatio. XXV. §. 91.

Secerni blandus amicus a vero et internosci tam potest adhibita diligentia, quam omnia fucata et simulata a sinceris atque veris. XXV. §. 95.

Assentatio, quamvis perniciosa sit, nocere tamen nemini potest, nisi ei, qui eam recipit atque in ea delectatur. XXVI. §. 97.

Semper aliqui anquirendi sunt, quos diligamus et a quibus diligamur. XXVII. §. 102.

M. TULLII CICERONIS
LAELIUS
SIVE
DE AMICITIA DIALOGUS.

Caput I.

Mittit hunc librum Cicero T. Pomponio Attico, cujus rogatu de amicitia scripsit, in eoque eorum, quae augur Scaevola a Laelio disputata meminerit, se autem audiente puero in hemicyclio familiaribus tradiderit, summam a se suo arbitratu esse expositam scribit. Laelii autem, qui, ut Cato senectutis, sic amicitiae gloria excellat, persona cum maxime idonea, quae de amicitia loquatur, sibi visa sit, hunc cum Scaevola et Fannio tamquam coram loquentem fecisse.

I. Quintus Mucius augur multa narrare de C. Laelio socero suo memoriter et iucunde solebat nec dubitare, illum in omni sermone appellare sapientem. Ego autem a patre ita 1

---

§. 1. L. *augur Scaevola* ab E. v. m. R. M. — *a senis lat.* B. [ ]. —

Cap. I. §. 1. *Ego autem*) *Autem* pro *enim* usurpari solet, quum ratio ita apponitur, ut novam partem expositionis constituat. Idem Graecis usus est Particulae δὲ; cfr. Herm. ad Vig. n. 345. b. Cic. Off. 1, 22. *Vere autem si volumus judicare, multae res extiterunt urbanae majores clarioresque, quam bellicae.* Item Off. I, 8. Legg. II, 11. et infra c. 6. §. 20; c. 10. §. 35. — *deductus ad Scaev.*) *Deduci* proprie dicuntur adolescentes ad viros primarios, quibus, sumta virili toga, quasi in disciplinam traduntur, certe ita commendantur, ut eorum consuetudine frui possint. Cfr. Tacit. de Orat. Dialog. 34: *Ergo apud majores nostros juvenis ille, qui foro et eloquentiae parabatur, imbutus jam domestica disciplina, refertus honestis studiis, deducebatur a patre, vel a propinquis, ad eum oratorem, qui principem locum in civitate obtinebat; hunc sectari, hunc prosequi, hujus omnibus dictionibus interesse, sive in judiciis,*

eram deductus ad Scaevolam, sumpta virili toga, ut, quoad possem et liceret, a senis latere nunquam discederem. Itaque multa ab eo prudenter disputata, multa [etiam] breviter et commode dicta memoriae mandabam, fierique studebam eius prudentia doctior. Quo mortuo me ad pontificem Scaevolam contuli, quem unum nostrae civitatis et ingenio et iustitia praestantissimum audeo dicere. Sed de hoc alias: nunc redeo ad
2 augurem. Quum saepe multa, tum memini domi in hemicyclio sedentem, ut solebat, quum et ego essem una et pauci admodum familiares, in eum sermonem illum incidere, qui tum fere omnibus erat in ore. Meministi enim profecto, Attice, et eo magis, quod P. Sulpicio utebare multum, quum is tribunus

2. FERE (OMNIBUS) —

---

industria Cdd. aliq. V. R. — §. 2. del. *profecta* 3. — *quicum* v. V. R. — §. 4. *praeter ceteros* a C4d. Rogerii. G. B. — *prae ce-*

sive in concionibus assuescebat etc. — *Quoad possem et liceret*) i. e. quoad neque in me esset neque in illo impedimentum ad eum sectandum. — *Breviter et commode dicta*) quae sint ex hoc Cic. loco de orat. II. 83. disce: *Nullo autem loco plus facetiae prosunt et celeritas et breve aliquod dictum, nec sine dignitate, et cum lepore. Nihil enim tam facile, quam multitudo, a tristitia et saepe ab acerbitate commode ac breviter et acute et hilare dicto deducitur.* Graecis ἀποφθέγματα, Franco-Gallis *bons mots* dicuntur. — *prudentia*) sc. juris. — *unum nostrae civitatis — praestantiss.*) *unus* eleganter Superlativis jungitur. Cic. Fam. IV, 13. P. *Nigidio, uni omnium doctissimo et sanctissimo;* Nep. Milt. I, 1. *Quum et antiquitate generis, et gloria majorum, et sua modestia unus omnium maxime floreret, eaque etc.* Ad quem locum conferendus est Bremius. Ceterum eodem sensu *unus* adhibetur nullo cum Superlativo junctum; cfr. Terent. Andr. I, 1. 90: *Inter mulieres, quae ibi aderant, forte unam adspicio adolescentulam forma.* —

et justitia) al. *et industria;* quae lectio sane habet, quo commendetur. Eodem modo *ingenium* et *industria* junguntur a nostro pro leg. Manil. 1. *Nam, cum antea per aetatem nondum hujus auctoritatem loci attingere auderem, statueremque, nihil huc, nisi perfectum ingenio, elaboratum industria, afferri oportere; omne meum tempus amicorum temporibus transmittendum putavi:* et Fam. XIII, 10. — *de hoc alias*) sc. loquar.

§. 2. *quum saepe multa*) subaudi: illum de Laelio narrare memini. — *hemicyclio*) ἡμικύκλιον, hemicyclium, pars domus, ubi sedes in semicirculi figuram positae ad excipiendos amicos et colloquendum. — *omnibus in ore*) et simpliciter *in ore esse,* et cum dat. — *alicui in ore esse* — recte dicitur. Cfr. Tusc. I. c. 49. pr. *Harmodius in ore, et Aristogiton, Lacedaemonius Leonidas, Thebanus Epaminondas vigent.* — *quanta hominum esset*) Notanda inversio ordinis. Pendet enim haec sententia a verbis *meministi enim — multum,* a quibus dirimitur interjectis his: *quum is trib. — — vixerat.*

plebis capitali odio a Q. Pompejo, qui tum erat consul, dissideret, quocum conjunctissime et amantissime vixerat, quanta esset hominum vel admiratio vel querela. Itaque tum Scae- 3
vola, quum in eam ipsam mentionem incidisset, exposuit nobis sermonem Laelii de amicitia, habitum ab illo secum et cum altero genero, C. Fannio, M. F., paucis diebus post mortem Africani. Eius disputationis sententias memoriae mandavi; quas hoc libro exposui arbitratu meo. Quasi enim ipsos induxi loquentes, ne *inquam* et *inquit* saepius interponeretur, atque ut tamquam a praesentibus coram haberi sermo videretur.
Quum enim saepe mecum ageres, ut de amicitia scriberem 4
aliquid, digna mihi res quum omnium cognitione tum nostra familiaritate visa est. Itaque feci non invitus, ut prodessem multis tuo rogatu. Sed, ut in Catone Maiore, qui est scriptus ad te de senectute, Catonem induxi senem disputantem, quia nulla videbatur aptior persona, quae de illa aetate loqueretur, quam eius, qui et diutissime senex fuisset, et in ipsa senectute praeter ceteros floruisset: sic, quum accepissemus a patribus, maxime memorabilem C. Laelii et P. Scipionis familiaritatem fuisse, idonea mihi Laelii persona visa est, quae de amicitia ea ipsa dissereret, quae disputata ab eo meminisset Scaevola. Genus autem hoc sermonum, positum in hominum veterum auctoritate et eorum illustrium, plus, nescio quo pacto, videtur habere gravitatis. Itaque ipse mea legens sic afficior interdum, ut Catonem, non me, loqui existimem. Sed, 5

4. ROGATU TUO.

---

teris b. ceteri. — §. 5. *in hoc.* ab. m. R. M. — *loquetur* a. E. B. — *loquatur* b. Suspectum h. v. B. —

§. 3. *disputationis sententias*) i. e. disputationis summam, vel *sententias principales*; ut Cic. N. D. I, 30: *in illis* (*Epicuri*) *selectis brevibusque sententiis, quae appellatis κυρίας δόξας, haec, ut opinor, prima sententia est: quod beatum et immortale est, id nec habet, nec exhibet cuiquam negotium.* — *meo arbitratu*) i. e. pro lubitu, non fidem rei curans. — *a praesentibus coram*) pleonastice.

§. 4. *feci non invit.*) Cfr. Zumpt. Gr. c. 80. §. 615 et Cat. c. 12. §. 42. — *rogatu tuo*) Male sic Orellius. Nam et offendit syllabae — *tu tu* — iteratio, et perit vis Antitheseos, quae est in *multis tuo*. Tuenda igitur Vulgata: *multis tuo rogatu.* — *aptior* — *idonea*) cfr. infra c. 5. §. 17.

§. 5. *sed ut tum.* — — *de am. scripsi*) Animadvertenda orationis concinnitas, quae in eo posita est, ut sin-

ut tum ad senem senex de senectute, sic hoc libro ad amicum amicissimus de amicitia scripsi. Tum est Cato locutus, quo erat nemo fere senior temporibus illis, nemo prudentior: nunc Laelius, et sapiens, — sic enim est habitus — et amicitiae gloria excellens, de amicitia loquitur. Tu velim animum a me parumper avertas, Laelium loqui ipsum putes. C. Fannius et Q. Mucius ad socerum veniunt post mortem Africani: ab his sermo oritur; respondet Laelius, cujus tota disputatio est de amicitia, quam legens tu te ipsum cognosces.

C a p i t t. II. III. IV.

Aliquot diebus post mortem Africani Fannius et Scaevola in domum Laelii conveniunt. Fannius Laelio renuntiat suspicari homines, quasi nimis morte Scipionis affectus sit; id quod alienum ab ejus sapientia, qua Atilium ipsumque Catonem antecedat. Scaevola autem quaerentibus, moderate ferri a Laelio Scipionis mortem respondisse se dicit. Quibus ille, se hoc casu sane commoveri, sed eo se consolari, quod nihil mali Scipioni accidisse putet. Sic enim se sentire, animis, cum e corporibus excesserint, reditum in coelum patere; in quo si falsus sit, recordatione certe insignioris inter ipsos amicitiae se delectari atque sperare, memoriam ejus ad posteritatem esse perventuram. Mentione autem facta amicitiae, Laelius a generis rogatur, ut suam de amicitia sententiam ipsis exponere velit.

6 II. F a n n i u s. Sunt ista, Laeli! nec enim melior vir fuit Africano quisquam nec clarior. Sed existumare debes, om-

---

§. 6. Sic E. (prob. Wunder.) B. ∾ *in tota* Gr. Codd. aliq. „E Regiis duobus optimus.“ Lall. 3. 1. 2. G. (prob. Goer.) — *in reliqua* Gr.

gulis in Anteced. respondeant singula in Conseq. — *hoc libro*) Maluit *hoc libro* ad oppositionem Temporalis *tum* praeced. Cfr. Zumpt Gr. c. 74. §. 475. adnot. — *tute ipsum etc.*) Beierus explicat: „Praeclarum illud amicitiae castissimae exemplum, quod Laelius proposuit, intuens, tuam ipsius speciem, in Laelio quasi te ipsum cognosces, talem firmissimae amicitiae imaginem, quali te mecum conjunctum esse laetor.“ Cfr. autem infra c. 12. §. 43.

Cap. II. §. 6. *sunt ista*) i. e. ista vere dicis. Sic noster Acad. I. (c. 3. pr.) *Tum ego, Sunt, inquam, i s t a, Varro;* Repub. I, 10. *Tum Scipio, s u n t i s t a, ut dicis, sed audisse te credo, Tubero.* Eadem significatione Graeci ἔστι ταῦτα. Ceterum ex ab-

nium oculos nunc in te esse conjectos; unum te sapientem et appellant et existimant. Tribuebatur hoc modo M. Catoni; sci-

a, v. V. M. L. P. — §. 7. *Scaevola* O 4 x. r. B, qui recte, ut videtur, [ ]. v. Scaevola. cfr. §. 32. *pro hoc enim* — — *respondeo* — rupto dialogum orsus scriptor. — *Vir quisquam*) Cfr. Zumpt. Synt. ornat. c. 84. §. 676. — *existumare*) Haec antiquior pronunciatio decorum servat in persona Laelii, Terentio aequalis. — *unum te sap.*) Cfr. supra cap. I. §. 1. — *modo*) i. e. *nuper*. — *prudens*) adhiberi pro sciente solet, praesertim cum de rebus agitur, quarum magis est peritia, quam scientia. Cfr. Brut. 31. *omnes fere Stoici prudentissimi in disserendo*, — *usum haberet*) i. e. *habere putabatur*, ut in praecedentibus *prudens esse putabatur*. Cfr. c. IV. §. 15. — *vel provisa prud., vel acta const. vel resp. acute*) *provisa* in senatu, *acta const.* in foro, *responsa acute* vel in foro vel in senatu. — *natura et moribus*) Vide indicem historicum nom. *Laelius*. — *studio et doctrina*) *studium* h. l. de secta philosophica, ut pro Muren. c. 31. *Quis vero C. Laelio comior? quis jucundior, eodem ex studio isto! quis illo gravior? sapientior?* Audiverat autem Laelius Diogenem et Panaetium Stoicos. Cfr. Fin. II. 8. 24. De voce *doctrina* vid. infra c. 23. §. 86. — *in Graecia*) Alii *in tota Graec.* alii *in reliqua Graec.* Utrumque male! Dederat enim manus emendatrix: *in tota Graecia reliqua*; unde et hae, et lect. cod. Pith. *in tota Graecia reliqui*. *In tota Graecia* autem, ut vulgo legitur, vel propterea valde est suspectum, quod Cicero potius, *tota Graecia*, omissa, ut solet, Praepositione *in* scripsisset. Deinde scriptores Latini et Graeci nomina generalia nominibus singulorum iisque partem totius principalem denotantibus ita opponunt, ut haec ipsa in illis excludant, neque in tali usu nom. generali Numerale *totus* addant, ut Tusc. IV. 5. *Quia Chrysippus et Stoici, quum de animi perturbationibus disputant, magnam partem in his partiendis et definiendis occupati sunt.* et Liv. III, 25. *Quum Virginius maxime et tribuni de lege agerent, duûm mensium spatium consulibus datum est ad inspiciendam legem.* item Caes. bell. Gall. VI, 24. *Itaque ea, quae fertilissima sunt, Germaniae loca circum Hercyniam silvam (quam Eratostheni et quibusdam Graecis fama notam esse video, quam illi Orcyniam appellant) Volcae Tectosages occupaverunt.* De Graecis cfr. Hom. Il. a. 369:

> Καὶ τὰ μὲν εὖ δάσσαντο μετὰ σφίσιν υἷες Ἀχαιῶν,
> ἐκ δ' ἕλον Ἀτρεΐδῃ Χρυσηΐδα καλλιπάρῃον.

et Isocr. Evag. 12. *Λακεδαιμόνιοι μὲν κατεναυμαχήθησαν καὶ τῆς ἀρχῆς ἀπεστερήθησαν, οἱ δ' Ἕλληνες ἠλευθερώθησαν.* Ceterum de toto hoc loco: *qualem in Graec.* — — — *sapientissimum judicatum* ita statuendum. Fannius in animo habet dicere: Qualem in Graecia neminem, Athenis Socratem fuisse accepimus. Septem illi, qui appellantur Graeciae sapientes, in sapientum numero non habentur ab eruditis, Socrates autem ab ipso Apolline sapientissimus judicatus est; ad cujus sapientiae normam cum tu sapiens sis, justo jure profecto te omnes sapientem appellant. In qua quidem sententia cum illa *Qualem in Graecia neminem* parum vera videri sensisset Fannius, oblocutorem statim antevertit additis his: *Nam qui* etc. (de vi Particulae *nam* in ante-

mus L. Atilium apud patres nostros appellatum esse sapientem; sed uterque alio quodam modo: Atilius, quia prudens esse in jure civili putabatur; Cato, quia multarum rerum usum haberet. Multa eius et in senatu et in foro vel provisa prudenter vel acta constanter vel responsa acute ferebantur; propterea quasi cognomen iam habebat in senectute sapientis. Te autem alio quodam modo, non solum natura et moribus, verum etiam studio et doctrina esse sapientem, nec sicut vulgus, sed ut eruditi solent appellare sapientem, qualem in Graecia neminem.
7 Nam, qui septem appellantur, eos, qui ista subtilius quaerunt, in numero sapientium non habent: Athenis unum accepimus, et eum quidem etiam Apollinis oraculo sapientissimum judicatum. Hanc esse in te sapientiam existimant, ut omnia tua in te posita ducas, humanosque casus virtute inferiores putes. Itaque ex me quaerunt, credo item ex hoc, [Scaevola], quonam pacto mortem Africani feras: eoque magis, quod his proximis Nonis, quum in hortos D. Bruti auguris

6. UT ERUDITI, — NEMINEM; 7. (NAM — — HABENT:) ATHENIS —

---

om. *his* ab E. r. V. G. B. — §. 8. *invaletudinem* ab 3. 2. G. — §. 9. *fuit sup.* Vim. — Hinc B. *fuit* [ ]. — *Quomodo* b. E. V. L. B. G. B.

occupatione vide infra c. 13. §. 45. Huic deinde sententiae sententiam priore loco dignam, sed eam nunc auctiorem, adjunxit: *Athenis unum — — judicatum*. In qua quippe haec: *Athenis unum* etc. respondent superioribus *in Graecia neminem*; illa autem: *et eum quidem etiam Apollinis oraculo sapientissimum judicatum* opponuntur antecedentibus: — *eos, qui ista subtilius quaerunt, in numero sapientium non habent.* Inversum autem sententiarum ordinem sermonis familiaris excusat negligentia.

§. 7. *septem*) Thales, Bias, Pittacus, Cleobulus, Solon, Chilo. Septimum locum alii Periandro, alii Anacharsidi, alii Epimenidi tribuunt. — *Apollinis oraculo*) ut est apud Xenoph. Apol. §. 14. *Χαιρεφῶντος γάρ ποτε ἐπερωτῶντος ἐν Δελφοῖς περὶ ἐμοῦ, πολλῶν παρόντων, ἀνεῖλεν ὁ Ἀπόλλων μηδένα εἶναι ἀνθρώπων ἐμοῦ μήτε ἐλευθεριώτερον, μήτε δικαιότερον, μήτε σωφρονέστερον.* — *in hortos*) Apparet, augures Nonis adesse in collegio consuevisse, ut de rebus ad id munus pertinentibus commentarentur, non tamen certum habuisse locum, in quem convenirent. — *commentandi causa*) i. e. colloquendi vel disputandi. Sic Fam. IV, 6. *ut ante commentemur inter nos, qua ratione nobis traducendum sit hoc tempus;* Div. I, 41. *Et in Persis augurantur et divinant Magi, qui congregantur in fano commentandi causa, atque inter se colloquendi: quod etiam idem vos quondam facere Nonis solebatis.* — *qui solitus esses*) i. e. *cum solitus esses.* cfr. Zumpt. Gr. c. 78. §§. 555. 564. 577.

commentandi causa, ut assolet, venissemus, tu non affuisti, qui diligentissime semper illum diem et illud munus solitus esses obire. SCAEVOLA. Quaerunt quidem, C. Laeli, multi, 8
ut est a Fannio dictum: sed ego id respondeo, quod animadverti, te dolorem, quem acceperis quum summi viri tum amicissimi morte, ferre moderate; nec potuisse non commoveri, nec fuisse id humanitatis tuae; quod autem his Nonis in nostro collegio non affuisses, valetudinem causam, non maestitiam fuisse. LAELIUS. Recte tu quidem, Scaevola, et vere: nec enim ab isto officio, quod semper usurpavi, quum valerem, abduci incommodo meo debui; nec ullo casu arbitror hoc constanti homini posse contingere, ut ulla intermissio fiat officii.
Tu autem, Fanni, qui mihi tantum tribui dicis, quantum ego 9
nec agnosco nec postulo, facis amice: sed, ut mihi videris, non recte judicas de Catone. Aut enim nemo, quod quidem magis credo, aut, si quisquam, ille sapiens fuit. Quomodo, ut alia omittam, mortem filii tulit! Memineram Paullum, videram Gallum: sed hi in pueris; Cato in perfecto et spectato viro.
Quamobrem cave Catoni anteponas ne istum quidem ipsum, 10

— *quonam modo* a. ∾ *quomodo enim* v. m. M. 3. 1. 2. — §. 10. — v. *ut ait* B. [ ].

§. 8. *ut est a Fannio dictum*) Emblema putat esse Beierus. — *humanitatis tuae*) *humanitas* h. l. est Graecorum φιλανθρωπία, dictum de sensu doloris, ut Tusc. IV, 14. *habet humanitatis speciem misericordia*; pro Rosc. cap. 53. *Num cum omnibus horis aliquid atrociter fieri videmus, aut audimus: etiam qui natura mitissimi sumus, assiduitate molestiarum sensum omnem humanitatis ex animis emittimus*; cfr. infra c. 13 et Terent. Heaut. I, 1. 23.

M. *Chreme, tantumne ab re tua est otii tibi,*
Aliena ut cures, eaque, nihil quae ad te attinent?
Ch. *Homo sum, humani nihil a me alienum puto.*

in collegio) sc. augurum. — *moestitiam*) cfr. infra c. 3. §. 11. *ad voc. moeror.* — *recte tu - et vere*) *recte* Subjectum spectat, vel cum, qui judicat, *vere* Objectum vel rem, de qua judicatur. — *quum valerem*) de hoc Conjunctivi usu vid. Zumpt Gr. c. 78. §. 570. — *debui*) i. e. debuissem; cfr. Zumpt Gr. C. 77. §. 518. — *quomodo*) Al. *quomodo enim*; sed recte Beier.: Exclamationis affectus negligit Conjunctiones. — *Memineram — videram*) Illud ad remotiora, hoc ad propiora tempora spectat.

§. 9. *perfecto et spectato*) *Perfectum virum* dicit, quem opponat pueris, cujus firma fuit aetas.

§. 10. *quem Apollo*) sc. Socratem. cfr. supra §. 7. — *hujus — illius*) Recte Gernh.: „*hujus* et quod seq. *illius* non ad proximorum verborum ordinem referendum est, sed Lae-

quem Apollo, ut ais, sapientissimum judicavit: huius enim facta, illius dicta laudantur. De me autem, ut iam cum utroque loquar, sic habetote.

III. Ego, si Scipionis desiderio me moveri negem, quam id recte faciam, viderint sapientes; sed certe mentiar. Moveor enim tali amico orbatus, qualis, ut arbitror, nemo unquam erit; ut confirmare possum, nemo certe fuit. Sed non egeo medicina; me ipse consolor, et maxime illo solatio, quod

---

§. 10. — pro *ut conf.* al. *et ut c.* — *plerique* B. [ ].

lius sui populi civem, Catonem, per *hujus* monstrat, Atheniensem Socratem per *illius*. Cfr. Zumpt. Gr. c. 34. §. 127. — *de me autem*) Particula *autem*, ut *igitur*, *sed*, *vero*, ita adhibetur, ut orationem ad ea, quae ante parenthesin vel digressionem inchoata erant, redire significet. Cfr. Cic. legg. I, 2. *Sic enim putant, te illam tractante, effici posse, ut in hoc etiam genere Graeciae nihil cedamus. Atque, ut — — — audio. Potes autem tu profecto satisfacere in ea, quippe quum sit opus, ut tibi quidem videri solet, unum hoc oratorium maxime;* et Off. I, 1. 2. *nostra legens — de rebus ipsis utere tuo judicio, (nihil enim impedio), orationem autem latinam efficies profecto legendis nostris pleniorem.* Cfr. Brem. ad Nep. Dion. c. 3. 3.

Ego, si Scip.) cfr. infra c. 6. §. 22. Sic Liv. XXI. 3 extr. *Ego istum juvenem domi tenendum, sub legibus, sub magistratibus docendum, vivere aequo jure cum ceteris, censeo: ne quandoque parvus hic ignis incendium ingens exsuscitet;* et idem XXII, 60. 27. *Ego non magis istos redimendos, Patres conscripti, censeo, quam illos dedendos Hannibali.* Cfr. item Terent. Andria III, 4. 3.

Ego dudum non nil veritus sum, Dave, abs te, ne faceres idem, Quod volgus servorum solet, dolis ut me deluderes.

Ad quem locum Donatus: „Semper gravis inceptio orationis, quae exordium sumit a Pronomine *Ego*." — *si Scip. — negem — mentiar*) Videntur h. l. Praesentia Subjunctivi posita pro Imperfectis. Sed longe alia est ratio Praesentis Conj.; sic enim res tamquam vera cogitatione ponitur, Imperfecto plane negatur. Respondet hoc genus temporum conditionalium Graecorum sententiis per modum Optativum enunciatis. Sic Cic. N. D. III. 32. *Dies deficiat, si velim numerare, quibus bonis male evenerit, nec minus si commemorem, quibus improbis optime.* cfr. Zumpt. Gr. cap. 78. §. 524. — *faciam, viderint sap.*) Ironice hoc Stoicos castigat, qui cum motum animi tolli velint, non rectum esse statuunt moveri. Sic Cotta pungit Balbum N. D. III, 4. 9. *Tu autem, qui id quaeris, similiter facis, ac si me roges, cur te duobus contuear oculis, et non altero tantum, cum idem uno adsequi possim. Tum Cotta, Quam simile istud sit, inquit, tu videris. h. e.* Non simile istud esse scito. — *non egeo medic.*) sc. aliunde petenda, quam ex me ipso. — *angi*) cfr. infra c. 13. §. 48. — *nisi enim — vellet*) Ironice. cfr. Zumpt. Gr. c. 78. §. 526.

praeclare? Nisi enim, quod ille minimi putabat, immortalitatem optare vellet, quid non est adeptus, quod homini fas esset optare? qui summam spem civium, quam de eo iam puero habuerant, continuo adolescens incredibili virtute superavit; qui consulatum petiit nunquam, factus est consul bis; primum ante tempus; iterum sibi suo tempore, rei publicae paene sero; qui duabus urbibus eversis, inimicissimis huic imperio, non modo praesentia, verum etiam futura bella delevit. Quid dicam de moribus facillimis, de pietate in matrem, liberalitate in sorores, bonitate in suos, iustitia in omnes? Nota sunt vobis. Quam autem civitati carus fuerit, maerore funeris indicatum est. Quid igitur hunc paucorum annorum accessio juvare potuisset? Senectus enim, quamvis non sit gravis, ut memini Catonem anno ante, quam mortuus est, mecum et cum Scipione disserere, tamen aufert eam viriditatem, in qua etiam
12 nunc erat Scipio. Quamobrem vita quidem talis fuit vel fortuna vel gloria, ut nihil posset accedere: moriendi autem sensum celeritas abstulit; quo de genere mortis difficile dictu est; quid homines suspicentur, videtis. Hoc tamen vere licet

§. 12. — *vere tamen* b. E. ∾ om. *vere* a. L. prob. Goer. B. [ ]. — *vesperam* v. V. m. R. M. — *deos*, ab. E. r. L. 3 Lall. G. ∾ om. *deos* cet.

benignitatem vel liberalitatem appellari licet. — *moeror funeris*) exquisite *moeror* dixit Tullius pro *luctu*. *Moeror* enim in vultu et habitu dolentium cernitur; *luctus* in veste et insignibus lugubribus. Tacit. Ann. II, 82. *quamquam neque insignibus lugentium abstinerent, altius animis moerebant.* — *memini disserere*) cfr. supra c. 1. §. 2; et Zumpt. Gr. c. 80. §. 589.

§. 12. *quid hom. suspic.*) vid. ind. hist. voc. Scip. — *vere licet dicere*) pro *ausim dicere*. Solent scriptores Lat. Indicativum verborum *licere*, *debere* aliorumque usurpare pro Optativo. cfr. Liv. XXI, 1. *In parte operis mei licet mihi praefari, quod in principio summae totius professi plerique sunt rerum scriptores;* Cic. Off. 22. *Licet enim mihi, Marce fili, apud te gloriari, ad quem et hereditas hujus gloriae, et factorum imitatio pertinet.* — *celeberrimos*) *dies celeberrimus* magna hominum frequentia celebratus. — *a patribus consc.* — *Latinis*) sic Somn. Scip. c. 2. *in te* (Afric.) *unum, atque in tuum nomen, se tota convertet civitas, te senatus, te omnes boni, te socii, te Latini intuebuntur.* Ad quem locum Manutius: „*Socii, et Latini* veteres dicebant pro *socii Latini*." ut Liv. XXIX, 27. *ea mihi populo plebique R. sociis nominique Latino — bene verruncent.* et Sall. Jug. c. 43.

dicere, P. Scipioni ex multis diebus, quos in vita celeberrimos laetissimosque viderit, illum diem clarissimum fuisse, quum senatu dimisso, domum reductus ad vesperum est a patribus conscriptis, populo Romano, sociis et Latinis, pridie quam excessit e vita: ut ex tam alto dignitatis gradu ad superos videatur deos potius, quam ad inferos pervenisse.

IV. Neque enim assentior iis, qui haec nuper disserere 13
coeperunt, cum corporibus simul animos interire atque omnia morte deleri. Plus apud me antiquorum auctoritas valet, vel nostrorum majorum, qui mortuis tam religiosa jura tribuerunt; quod non fecissent profecto, si nihil ad eos pertinere arbitrarentur: vel eorum, qui in hac terra fuerunt magnamque Grae-

---

§. 13. — post *nunc* om. *quidem* E. B. (— v. *quae n. q. d. est* om. Codd. aliq. Rogerii) *tunc fl.* ab m. M. L. B. — *tum* ceteri. — *ut in plerisque solet* b. r. — *ut plerique* r. P. G. prob. Goer. — *e corporibus* exc. V. L. — *ex* (sic. b. E.) *corpore existeit* P. —

ad superos vid. potius) i. e. heros sive semideus factus videtur esse, quemadmodum videlicet Romulus, et ipse civibus suis subito ereptus.

C. IV. §. 13. *nuper disserere*) Hujus modi quaestiones per otium et luxuriam excitari solent. Ineunte autem saeculo U. C. septimo ad nimiam quandam felicitatem Roma pervenerat, excisa Carthagine. — *atque omnia morte del.*) i. e. sensum omnium rerum morte amitti. — *religiosa jura*) Jura Manium legibus constituta. Cfr. Cic. legg. II, 22. *Nec vero tam denicales, quam caeterorum coelestium quieti dies, feriae nominarentur, nisi majores eos, qui ex hac vita migrassent, in deorum numero esse voluissent. Totaque hujus juris compositio pontificalis magnam religionem caeremoniumque declarat. Neque necesse est, edisseri a nobis, quae finis funestae familiae, quod genus sacrificii Lare verbecibus fiat; quemadmodum os resectum terra obtegatur, quaeque in porca contracta jura sint; quo tempore incipiat sepulcrum esse et religione teneatur.* — *in hac terra*) significat sectam philosophorum Italicam, cujus parens Pythagoras. — *deleta est*) i. e. *dignitate spoliata; delere* enim h. l. est Graecorum καθαιρεῖν. — *tunc flor.* Cfr. Zumpt. Gr. c. 63. §. 283. — *ad eos pertinere*) h. e. *sensum eorum pertingere.* — *arbitrarentur*) i. e. arbitrati essent; cfr. Zumpt. Gr. c. 78. §. 525. — *ut in plerisque*) et Socratis, et Academiae ab illo profectae proprium fuit modo hoc, modo illud docere. Cfr. ad Att. XIII. 25. 3. *O Academiam volaticam et sui similem, modo huc, modo illuc!* et Tusc. V, 4. *Cujus* (Socratis) *multiplex ratio disputandi, rerumque varietas, et ingenii magnitudo etc.* ad quem locum cfr. Ernesti Clav. voc. *multiplex.* — *optimus et justissimus*) Cfr. infra c. 23. §. 86.

ciam, quae nunc quidem deleta est, tunc florebat, institutis et praeceptis suis erudierunt: vel ejus, qui Apollinis oraculo sapientissimus est judicatus, qui non tum hoc tum illud, ut in plerisque, sed idem dicebat semper, animos hominum esse divinos, iisque, quum e corpore excessissent, reditum in caelum patere, optimoque et justissimo cuique expeditissimum.

14 Quod idem Scipioni videbatur; qui quidem, quasi praesagiret, perpaucis ante mortem diebus, quum et Philus et Manilius adessent et alii plures, tuque etiam, Scaevola, mecum venisses, triduum disseruit de re publica: cujus disputationis fuit extremum fere de immortalitate animorum, quae se in quiete per visum ex Africano audisse dicebat. Id si ita est, ut optimi cujusque animus in morte facillime evolet tamquam e custodia vinclisque corporis: cui censemus cursum ad deos faciliorem fuisse, quam Scipioni? Quocirca, maerere hoc ejus eventu, vereor, ne invidi magis quam amici sit. Sin autem illa veriora, ut idem interitus sit animorum et corporum, nec ullus sensus maneat; ut nihil boni est in morte, sic certe nihil mali. Sensu enim amisso fit idem, quasi natus non esset

IDEM SEMP. 14. — QUOD ITEM

§. 14. — B. *per visum* [ ]. Contra *in quiete* Langio suspectum. — *dic et .... audisse* a. — *Vinclisque* ab L. P. B. — *vinculisque* Ceteri. — v. *fuisse* B. [ ]. — *eventum* e Codd. Lang. Grut.

§. 14. *quasi praesagiret*) subaudi, se moriturum animumque ad superos rediturum. — *extremum disput.*) vid. infra c. 10. §. 33. Ceterum significat Somnium Scipionis. — *audisse dicebat*) „Solet verbum *dicere* non modo adhiberi, verum etiam iterari in re mira, cujus fidem is, qui refert, vult esse penes auctorem.“ — *e custodia vinclisque corporis*) Vox *custodia* spectat homines custodes, *vincula* carcerem vel catenas. Ceterum *vinclis* maluit in usu proverbiali, ut Tusc. I, 49. 118 et Off. III, 18. 73. — *cui censemus*) Notandus Indicativus prima persona in interrogatione. — *illa veriora, ut*), post *verum* Conj. *ut* cum Subjunctivo, non Accusat. cum Inf. sequitur, si locutio *verum est*, non ad judicium sed ad eventum rei relata, idem valet, quod *vere accidit, fit, factum est*. Cfr. Nep. Hannibal. c. 1. *Si verum est, quod nemo dubitat, ut populus Romanus omnes gentes virtute superarit, non est infitiandum, Hannibalem* etc.; cfr. c. 14. §. 50. et Zumpt. Gr. c. 80. §. 623. — *ut nihil — sic*) *ut — sic* pro *quidem — sed* h. l. usurpavit Cicero; cujus usus frequentissimus est Livio et Ovidio. cfr. N. Ages. c. 8. 1. *Atque hic tantus vir, ut naturam fautricem habuerat in tribuendis animi virtutibus, sic maleficam nactus est in corpore fingendo.* Ad quem locum videndus Bremius.

omnino; quem tamen esse natum et nos gaudemus et haec civitas, dum erit, laetabitur. Quamobrem cum illo quidem, ut 15
supra dixi, actum optime est: mecum incommodius, quem fuerat aequius, ut prius introieram, sic prius exire de vita. Sed tamen recordatione nostrae amicitiae sic fruor, ut beate vixisse videar, quia cum Scipione vixerim, quocum mihi conjuncta cura de re publica et de privata fuit, quocum et domus et militia communis, et id in quo est omnis vis amicitiae, voluntatum, studiorum, sententiarum summa consensio. Itaque non tam ista me sapientiae, quam modo Fannius commemoravit, fama delectat, falsa praesertim, quam quod amicitiae nostrae memoriam spero sempiternam fore; idque mihi eo magis est cordi, quod ex omnibus seculis vix tria aut quattuor nominantur paria amicorum: quo in genere sperare videor Scipionis et Laelii amicitiam notam posteritati fore. FANNIUS. Istud 16
quidem, Laeli, ita necesse est. Sed, quoniam amicitiae mentionem fecisti et sumus otiosi, pergratum mihi feceris — spero item Scaevolae — si, quemadmodum soles de ceteris rebus, quum ex te quaeruntur, sic de amicitia disputaris, quid sentias, qualem existimes, quae praecepta des. SCAEVOLA. Mihi vero [pergratum erit:] atque, id ipsum quum tecum agere

---

§. 15. *fuerat aequius*) cfr. Zumpt. Gr. c. 77. §. 518. — *domus*) i. e. vita domi acta. — *sententiarum*) sc. de republica et in senatu. — *falsa praesertim,*) Ita loquitur modestiae gratia. *Praesertim* autem solet postponi uni voci, quae, ut h. l. *falsa* cum superiore *fama*, arctius juncta est, ut Off. I, 38. *Deforme etiam est, de seipsum praedicare, falsa praesertim, et, cum irrisione audientium, imitari militem gloriosum.* — *tria, aut quattuor paria*) sc. Theseus et Pirithous, Achilles et Patroclus, Orestes et Pylades, Damon et Phintias. — *sperare videor*) *videor* ex more Ciceronis; cf. Zumpt. Gr. c. 85. §. 751.

§. 16. *Istud quidem ita necesse est*) Breviter sic Fannius loquitur, omisso *fore*, quae proxima vox fuit Laelii. — *feceris*) cfr. Cato c. II, 6. et Zumpt. c. 76. §. 511. — *spero*) i. e. credo. — *sentias — existimes — praecepta des*) His totam disputationem in tres partes dividit, quarum una de praestantia amicitiae, altera de ortu et natura, tertia de praeceptis agit. *Sentire* autem, quod proprie est *censere in senatu*, h. l. translate adhibetur pro judicare. cfr. Att. VII, 6. *Sentiam enim omnia facienda, ne armis decernatur.* Orat. III, 9. *difficillime de se quisque sentit;* et infra c. V. §. 18. — *mihi vero*) *vero* Pronom. personalibus eleganter adjicitur in affirmando. cfr. infra cap. seq. init. — *atque*) cfr. infra c. 15. §. 54. — *gratum admodum*) Cfr. infra c. 13. §. 49.

conarer, Fannius antevertit: quamobrem utrique nostrûm gratum admodum feceris.

Capitt. V. VI. VII.

Disputare de amicitia suarum facultatum Laelius esse negat; hortari tamen eos, ut amicitiam, non illam quidem vulgarem, sed veram atque a virtute profectam, excepta sapientia, omnium rerum maximi faciant, omnique studio colant; sine qua nullam vitam esse putat. Summam autem ait verae amicitiae vim in eo cerni, quod alter in alterius tam secundis quam adversis rebus fortunam communicet, animoque quasi temperetur. Inde quum disputare se de amicitia posse iterum negasset, Fannius et Scaevola eloquentiam ejus et virtutes jactando efficiunt, ut ipsis in hac re obsequatur.

17 V. LAELIUS. Ego vero non gravarer, si mihi ipse confiderem. Nam et praeclara res est et sumus, ut dixit Fannius, otiosi. Sed quis ego sum? aut quae in me est facultas? Doctorum est ista consuetudo eaque Graecorum, ut iis ponatur, de quo disputent quamvis subito. Magnum opus est egetque exercitatione non parva. Quamobrem, quae disputari de amicitia possunt, ab eis censeo petatis, qui ista profitentur: ego vos hortari tantum possum, ut amicitiam omnibus rebus humanis anteponatis; nihil est enim tam naturae aptum, tam

---

§. 17. — v. *sum* post *ego* B. [ ].

C. V. §. 17. *Ego vero*) cfr. cap. antecedens. §. 16. — *doctorum*) h. e. sophistarum. — *eaque Graecorum*) In Lib. II. de Fin. c. 1. *Primus est ausus Leontinus Gorgias in conventu poscere quaestionem. Idem postea professus est Hippias Eleus in ludis Olympiois, cuncta paene audiente Graecia.* Recte Gernh.: „*Eaque Graecorum* pro eorumque Graecorum, qui casus Pronominis pro *et quidem* hoc verborum ordine haberet aliquid ambigui.“ — *qui ista profitentur*) perstringit impudentiam sophistarum; nam *profiteri* est ostentantium. — *rebus humanis*) res humanae sunt h. l. externae, ut Parad. IV, 1. 27. *Sapientis animus magnitudine consilii, tolerantia fortunae, rerum humanarum contemptione, virtutibus denique omnibus, ut moenibus, septus, vincetur et expugnabitur, qui ne civitate quidem pelli potest?* — *naturae aptum — conveniens*) *apta res* usu dicitur, quamve quaerendo invenias, *idonea*, quae ultro se offert. cfr. supra cap. I. §. 4; *conveniens* autem h. l. idem significat, quod Subst. *convenientia*, συμπάθεια, cfr. Off. 1,

convenientis ad res vel secundas vel adversas. Sed hoc primum 18
sentio, nisi in bonis amicitiam esse non posse; neque id ad vivum reseco, ut illi, qui haec subtilius disserunt, fortasse vere, sed ad communem utilitatem parum; negant enim, quemquam virum bonum esse, nisi sapientem. Sit ita sane; sed eam sapientiam interpretantur, quam adhuc mortalis nemo est consecutus. Nos autem ea, quae sunt in usu vitaque communi, non ea, quae finguntur aut optantur, spectare debemus. Numquam ego dicam, C. Fabricium, M'. Curium, Ti. Coruncanium, quos sapientes nostri maiores iudicabant, ad istorum normam fuisse sapientes. Quare sibi habeant sapientiae nomen et invidiosum et obscurum; concedant, ut hi boni viri fuerint. Ne id quidem facient: negabunt id nisi sapienti posse concedi.
Agamus igitur pingui Minerva, ut aiunt. Qui ita se gerunt, 19

18. CONSECUTUS: NOS AUTEM

---

§. 19. — *sequantur* r. 3. 1. 2. B. probb. Rog. et Goer. ∾ *quia sequuntur* a. r. M. G. ∾ *qui sequantur* r. V. L. P. — *persp. mihi* v. P. — *persp. vid. mihi* Beda. — del. *mihi* B.

17. *deinceps bene convenientes* propinqui, quibuscum communis etiam plerumque fortuna est.

§. 18. *ad vivum reseco*) proverbialis loquendi modus, pro eo, quod est rem exactius, quam sat est, ac morosius excutere. Sumpta metaphora a tonsoribus capillos aut ungues ad vivam cutem resecantibus. — *Subtilius disseruit*) Stoici, qui summam quamdam bonitatis et sapientiae formam, quae vix in hominem caderet, requirebant. — *ad communem utilitatem*) eorum praecepta in usum vitae dari nequeunt. *Vere* autem est ad virtutis et sapientiae perfectae notionem convenienter, ut decet philosophum. — *Nos autem*) opponit suam sententiam Stoicis. De vi Particulae *autem* cum pron. pers. in oblocutine cfr. infra c. 26. §. 98. — *invidiosum et obscurum*) Recte Gernh. ita interpretatur: „Tamquam propria professis conceditur nomen sapientiae, quod invidiam movet apud alios, quasi sit virorum sapientium natura perfectior: hinc *invidiosum* appellatur: idemque *obscurum*, cum dici non possit, quid illud sit, quo eorum virtus a reliquorum virtute praestet, quoniam vivitur non cum perfectis hominibus planeque sapientibus, nec quisquam sic sapiens est, ut sapientem Stoici volunt intelligi. — *concedant, ut*) Ironice; quasi manibus pedibusque obnitantur Stoici neque permittant, ut quisquam praeter ipsorum normam sapiens sit.

§. 19. *pingui Minerva*) Minerva artibus atque ingeniis praesidet. Dicitur *pinguiori Minerva* fieri, quod inconditius, simpliciusque quasique indoctius fit, non autem exquisita arte, nec exactissima cura. Sic Horat. Sat. I, 2.

Nec meus hic sermo est, sed quae praecepit Ofellus
Rusticus, abnormis sapiens, crassaque Minerva.

ita se gerunt, ita vivunt) gerunt ad

ita vivunt, ut eorum probetur fides, integritas, aequitas, liberalitas, nec sit in eis ulla cupiditas vel libido vel audacia, sintque magna constantia, ut ii fuerunt, modo quos nominavi: hos viros bonos, ut habiti sunt, sic etiam appellandos putemus, quia sequantur, quantum homines possunt, naturam, optimam bene vivendi ducem. Sic enim mihi perspicere videor, ita natos esse nos, ut inter omnes esset societas quaedam, maior autem, ut quisque proxime accederet. Itaque cives potiores quam peregrini, propinqui quam alieni: cum his enim amicitiam natura ipsa peperit; sed ea non satis habet firmitatis. Namque hoc praestat amicitia propinquitati, quod ex propinquitate benevolentia tolli potest, ex amicitia non potest: sublata enim benevolentia amicitiae nomen tollitur, propinquitatis manet.
20 Quanta autem vis amicitiae sit, ex hoc intelligi maxime potest,

20. QUIDQUAM MELIUS —

---

§. 20. — *in angustumque deducta* Beda. — et *deducta* in *ang.* B.

proximam sunt, *ut eorum* etc. *vivunt* ad sequiorem *nec sit in illis* etc. pertinet. — *cupiditas vel libido vel audacia*) *cupiditas* est notio generalis, cui subjiciuntur *libido* et *audacia*, quarum illa in perfruendis voluptatibus, haec in temeritate et licentia agendi cernitur. Cfr. Off. I, 19. *Animus paratus ad periculum, si sua cupiditate non utilitate communi impellitur, audaciae potius nomen habet, quam fortitudinis.* — *modo quos*) *modo* aucta vi in principio ponitur. — *quia sequantur*) Conjunctiones *quia, quoniam, quod* nonnunquam cum Conjunctivo ita junguntur, ut scriptor, vel is, qui loquitur, aliorum sententiam indicet, quam suam fecit; id quod h. l. fit cum quadam Ironiae significatione. Cfr. Nep. Milt. c. VII. *Itaque quoniam ipse pro se dicere non posset, verba pro eo fecit frater ejus Tisagoras*; Fin. III, 20. *Quodque nemo in summa solitudine vitam agere velit, ne cum infinita quidem voluptatum abundantia: facile intelligitur, nos ad conjunctionem congregationemque hominum et ad naturalem communitatem esse natos.* — *bene vivendi*) i. e. *beate viv.* — *propinquitatis manet*) Gernh. ad haec sic: Sc. nomen, quod rei, cujus illud tamquam nota est, natura mutata, tollitur, ut amicitiae sublata benevolentia, quae est ejus pars necessaria, cum propinquitatis nomen, quo sanguinis tantum affinitas significatur, etiamsi propinqui non junguntur benevolentia, integrum tamen manet.

§. 20. *vis amicitiae*) Vis naturae nos conciliat omnibus hominibus, vis amicitiae vix uni aut alteri nos conjungit. — *adducta in angustum*) Beierus interpretatur: „Propius propiusque attracta, ut homo amicitiae appetens in media societate generis humani tamquam in orbium, aliorum exterius, aliorum interius circumductorum, centro positus intelligatur." Similiter noster locutus est Off. I. 17. *Arctior vero colligatio est societatis propinquorum. Ab illa enim immensa societate humani generis in exiguum angustumque*

quod ex infinita societate generis humani, quam conciliavit ipsa natura, ita contracta res est et adducta in angustum, ut omnis caritas aut inter duo aut inter paucos jungeretur.

VI. Est autem amicitia nihil aliud, nisi omnium divinarum humanarumque rerum cum benevolentia et caritate summa

---

§. 20. pro *autem* habent *enim* ab. E. Beda. v. V. R. P. B. — *quidquam mel.* ab. cum plerisque. Beda. Edd. ante Ern. cfr. Gernh. — *nihil melius* E. cum aliis Codd. probb. Lamb. et Zumpt. Gr. §. 721. Recepit Nobbe. — *nihil quidquam melius* sine auctoritate Ern. 1. 2. Billerb. — *nihil (quidquam) melius* B. —

concluditur. — *Aut inter duo aut inter pauc.*) in sententiis disjunctivis solet in altero membro iterari Praepositio. cfr. infra. c. VI. §. 20.

— C. VI. §. 20. *Est autem*) cfr. supra c. I. §. 1. — *divin. human. rerum consens.*) *res divinae* et *humanae* sunt, in quibus philosophorum cognitio occupatur; *divinae* enim *res* ad eam veteris philosophiae partem spectant, quae de natura sive deo agebat, *humanae* ad eam, quae de homine et moribus. cfr. Off. II, 2. — *Sapientia autem est, (ut a veteribus philosophis definitum est) rerum divinarum et humanarum, causarumque, quibus hae res continentur, scientia.* Dicit igitur, veris amicis unam eandemque esse in omnibus rebus, scitu dignissimis, agendi cognoscendique rationem. — *benevolentia et caritate*) *benevolentia* id genus est amoris, quo aequales prosequimur, *caritas*, qua superiores vel eos, quos admiramur, amplectimur. cfr. Cic. part. 16. 56: *num aut caritate moventur homines, ut deorum, ut patriae, ut parentum; aut amore, ut fratrum, ut conjugum, ut liberorum, ut familiarium.* cfr. infra c. 27. §. 101. — *haud scio an, — quicquam*) His si affirmat Laelius, nihil, excepta sapientia, melius homini a diis esse datum, quam amicitiam — id quod dubitari non potest, cfr. c. 27., fin. — lectio *quidquam* locum habere nequit. Recte enim Matthiae in Seebod, Syllog. 1825. p. 24: „Mirum videri, si Latini contraria etiam formula *nescio an nulla* eodem *an ulla*, vel certe non multum diverso sensu usi essent; recte etiam Handius Tursellin. I. p. 326.: „*Ullus* et *unquam* negativis *nullus* et *nunquam* contraria sunt, igiturque affirmativa; et ibid. paullo superius: „*Quisquam, ullus, umquam* non sunt, ut vulgo creditur, negativa, sed plenam in se habent definitae rei affirmationem (nam *ullus* est *unulus, unus,* et *quisquam* significat *unum ex omnibus*: vid. egregiam expositionem Prisciani 17, 7, 46.)". Praeferenda igitur lectio *nihil*; sed tamen defendi etiam potest lectio *nihil quicquam*, si quidem Pronom. *quisquam* loco Adjectivi jungitur Substantivis, ut *quisquam homo, quisquam civis.* cfr. de hoc loco Zumpt. Gr. c. 84. §. 721. — *extremum*) aut Substantive sumi potest pro *summo bono*, aut ad ordinem spectat, referendumque ad voluptates, ut ea, quae sequuntur, *illa autem superiora* referenda sunt ad *divitias, potentiam* etc. — *caduca et incerta*) *caducas* has res dicit cum respectu ad fragilem earum

consensio: qua quidem haud scio, an, excepta sapientia, nihil
melius homini sit a diis immortalibus datum. Divitias alii
praeponunt, bonam alii valetudinem, alii potentiam, alii honores; multi etiam voluptates. Beluarum hoc quidem extremum (est): illa autem superiora caduca et incerta, posita non
tam in consiliis nostris, quam in fortunae temeritate. Qui
autem in virtute summum bonum ponunt, praeclare illi quidem: sed haec ipsa virtus amicitiam et gignit et continet nec
21 sine virtute amicitia esse ullo pacto potest. Iam virtutem ex
consuetudine vitae sermonisque nostri interpretemur, nec eam,
ut quidam docti, verborum magnificentia metiamur: virosque
bonos eos, qui habentur, numeremus, Paullos, Catones, Gallos, Scipiones, Philos. His communis vita contenta est; eos
22 autem omittamus, qui omnino nusquam reperiuntur. Tales

---

§. 22. *qui* ab. E. Beda. G. B. ∾ *quae* L. B. — *quis* v. m. M. — *cui* V. R. 3. 1. 2. — *quae non* ab. E. P. G. B. — *qui* Beda. v. V. m. R. M. 3. 1. 2.

naturam; *incertas*) quarum stabilitate nemo confidere debeat. — *in nostr. consil. quam in fort.*) de iteratione Praepositionis vid. supra c. V. §. 20. — *praeclare illi quidem*) sc. agunt. Illi autem intelliguntur Academici et Peripatetici, quos cum Stoicis, quibus honestum solum bonum est, Cic. comparat de Offic. III, 3. 11. — *gignit et continet*) h. e. in virtute inest amicitiae expetendae colendaeque studium; cf. c. 9. §. 30 fin. — *haec ipsa virt.*) de significatione Pronom. *ipsa* cfr. Zumpt. Gr. c. 84. §. 695. Ceterum Gernh. sententiam ita explicat: „Haec contractius dicuntur pro: sed amicitiam non minus quam virtutem in bonis habere debent, quia ipsa virtus amicitiam et gignit et continet." — *ex consuetudine vitae sermonisque nostri*) voces *vitae sermonisque* per Hendiadyn unam solummodo notionem constituunt, oppositae vocibus in membro seq. — *verborum magnificentia*

§. 21. *Paullos, Catones, Gall., Scip.*) i. e. tales, quales Paullus, Cato etc. fuerunt, per Synecdochen. cfr. Cat. c. 5. §. 13. *Nec tamen omnes possunt esse Scipiones, aut Maximi, ut urbium expugnationes, ut pedestres navalesque pugnas, ut bella a se gesta, ut triumphos recordentur.*

§. 22. *vita vitalis*) similiter dictum est, ut in Cat. c. 21. §. 77. *Ego vestros patres, — vivere arbitror; et eam quidem vitam, quae est sola vita nominanda.* Quemadmodum enim *vita nulla*, h. e. *vita non vita*, pro *vita insuavis* dicunt (cfr. Cat. c. III. §. 7 et infra c. 23. §. 86. tum de Orat. II, 5. extr. et princip. 6.) sic *vita*, quae *vitalis* sive *vita* praedicatur, vitam suavem significat. Cujusmodi Philemonis exstat sententia: ἡμεῖς δ᾽ ἀβίωτον ζῶμεν ἄνθρωποι βίον. Ceterum hic usque ad *qui esset tantus etc.* dissolutos Ennii versus deprehendisse

igitur inter viros amicitia tantas opportunitates habet, quantas vix queo dicere. Principio, qui potest esse *vita vitalis*, ut ait Ennius, quae non in amici mutua benevolentia conquiescat? Quid dulcius, quam habere, quicum omnia audeas sic loqui, ut tecum? Qui esset tantus fructus in prosperis rebus, nisi haberes, qui illis aeque ac tu ipse gauderet? Adversas vero ferre difficile esset sine eo, qui illas gravius etiam, quam tu, ferret. Denique ceterae res, quae expetuntur, opportunae sunt singulae rebus fere singulis: divitiae, ut utare; opes, ut colare; honores, ut laudere; voluptates, ut gaudeas; valetudo, ut dolore careas et muneribus fungare corporis. Amicitia res plurimas continet; quoquo te verteris, praesto est; nullo loco excluditur; numquam intempestiva, numquam molesta est. Itaque non aqua, non igni, ut aiunt, pluribus locis utimur, quam amicitia. Neque ego nunc de vulgari aut de mediocri, quae tamen ipsa et delectat et prodest, sed de vera et perfecta lo-

---

sibi recte videtur Bajerus, quos sic restituit:

Principio „*qui vita esse vitalis potest,*
Quae non in amici mutua benevolentia
(Secura) conquiescat? quid enim dulcius,
Quam habere, quicum sic loqui, ut tecum, audeas?"

adversas vero ferre) Alliteratio, de qua infra. c. 23. §. 88. — *gravius)* Verus amicus magis dolet in calamitatibus amici, quam in suis. De significatione vocis *gravius*. cfr. Cat. I, 1. *Et tamen te suspicor iisdem rebus, quibus meipsum, interdum g r a v i u s commoveri: quarum consolatio et major est, et in tempus aliud differenda.* — *opes)* non raro pro potentia singulorum hominum sumuntur. cfr. infra c. 15; Brut. 81. *si me audire voluisset, ut coeperat, honores; quam o p e s consequi maluisset;* Liv. XXI. 3. 2. *Hanc Hannibalem) vixdum puberem Hasdrubal literis ad se arcessierat: actaque res etiam in senatu fuerat, Barcinis nitentibus, ut adsuesceret militiae Hannibal atque in paternas succederet o p e s.* Sic etiam *opes* mallem interpretatus essem in Cat. c. 3. §. 8. — *colare) colere* h. l. est *observare*, ut Graecorum θεραπεύειν. cfr. Cat. c. 4. §. 10. de secunda Temporum Pass. cfr. Zumpt. Gr. c. 45. §. 166. — *intempestiva, — molesta)* *intempestivi* dicuntur, qui tempore non opportuno ad nos adeunt; *molesti*, quos omnino ferre nolumus. — *non aqua, non igni)* proverbium; in quo quidem ignis superiora elementa, aqua inferiora comprehendit. Cfr. Plut. de adul. et am. c. 5: ὅτι δ' ἡ χρεία τῇ φιλίᾳ παρέπεται, καθ' ὃ δὴ καὶ λέγεται πυρὸς καὶ ὕδατος ὁ φίλος ἀναγκαιότερος εἶναι. — *nunc de vulg. aut de mediocr.)* cfr. supra c. 5. §. 20. de iteratione Praepositionis. — *partiens communicansque)* amicitia res adversas *partitur*, quum alter partem incommodi, quo affligitur amicus, in se suscipit, *communicat*, dum conjunctis viribus communiterque infortunium ferunt.

quor, qualis eorum, qui pauci nominantur, fuit. Nam et secundas res splendidiores facit amicitia et adversas partiens communicansque leviores.

23 VII. Cumque plurimas et maximas commoditates amicitia contineat, tum illa nimirum praestat omnibus, quod bonam spem praelucet in posterum, nec debilitari animos aut cadere patitur. Verum enim Amicum qui intuetur, tamquam exemplar aliquod intuetur sui. Quocirca et absentes adsunt, et egentes abundant, et imbecilli valent, et, quod difficilius dictu est, mortui vivunt: tantus eos honos, memoria, desiderium prosequitur amicorum. Ex quo illorum beata mors videtur, horum vita laudabilis. Quod si exemeris ex natura rerum benevolentiae conjunctionem, nec domus ulla nec urbs stare poterit, ne agri quidem cultus permanebit. Id si minus intelligitur, quanta vis amicitiae concordiaeque sit, ex dissensionibus atque discordiis percipi potest. Quae enim domus tam stabilis, quae tam firma civitas est, quae non odiis atque dissidiis funditus possit everti? Ex quo, quantum boni sit in amicitia, judicari potest.

24 Agrigentinum quidem doctum quen-

23. ENIM AMICUM — RERUM NATURA —

§. 23. *bonam spem* b. cum multis Cdd. Beda L. P. I. G. B. ∾ *bona spe* a. E. v. V. m. B. M. 1. 2. — *verum etiam am.* ab. E. r. Beda. 3. 1. 2. G. — *imbecilli* cum Cdd. Rogerii, E. et al. v. V. R. L. P. B. — *imbecillos* ab. Beda m. M. 3. 1. 2. G. — §. 24. — om. *autem* post *Graeces* v.

C. VII. §. 23. *nimirum*) i. e. sine dubio, cfr. infra c. 15. §. 23. — *bonam spem praelucet*) constructum, quasi esset *lumen bonae spei praeluc.*, unde Accus. Verb. intransit. more Graecorum. cfr. Zumpt. Gr. c. 71. §. 384. — *Verum enim*) sententia *amicum qui intuetur, tamquam exemplar intuetur sui*, plane proverbialis est, ut illa *Amicus alter ipse*, *Amicitia aequalitas*, τὴν φιλίαν ἰσότητα εἶναι etc. Quocirca statuendum, Laelium h. l. laudare, verbis quidem mutatis, notissimum illud proverbium; itaque distinguendum: *Verum enim Amicum qui intuetur* etc. cfr. infra ad c. 19. §. 67. — *dictu est diff.*) i. e. quod mirum auditu. — *illorum beat. mors* — *horum vit. laud.*) Pronom. *illorum* ad defunctos pertinet, *horum* ad eos, qui nobiscum in vita versantur; cfr. supra c. 2. §. 10. *Vita laudabilis* est h. l. *honesta et grata* per amicorum benevolentiam ac liberalitatem. — *ex nat. rerum ben. conjunct.*) i. e. vim res per benevolentiam conjungendi. §. 24. *Agrigentinum quidem*) sc. Empedoclem. Ceterum *quidem* i…

dam virum carminibus Graecis vaticinatum ferunt, quae in rerum natura totoque mundo constarent quaeque moverentur, ea contrahere amicitiam, dissipare discordiam. Atque hoc quidem omnes mortales et intelligunt et re probant. Itaque si quando aliquod officium exstitit amici in periculis aut adeundis aut communicandis, quis est, qui id non maximis efferat laudibus? Qui clamores tota cavea nuper in hospitis et amici mei M. Pacuvii nova fabula! quum, ignorante rege, uter esset Orestes, Pylades Orestem se esse diceret, ut pro illo necaretur; Orestes autem, ita ut erat, Orestem se esse perseveraret. Stantes plaudebant in re ficta: quid arbitramur in vera facturos fuisse? Facile indicabat ipsa natura vim suam, quum homines, quod facere ipsi non possent, id recte fieri in altero judicarent. Hactenus mihi videor, de amicitia quid sentirem, potuisse dicere: si qua praeterea sunt — credo autem esse multa — ab iis, si videbitur, qui ista disputant, quaeritote. FANNIUS. Nos autem a te potius: quamquam etiam 25

---

§. 25. — *Tum magis* Cdd. pleriq. etiam a. E. v. M. L. P. 5. 1. 2. B. — *Tu* Cdd. aliq. V. m. G. — *Tu id.* b. —

exemplorum testimoniorumque auctoritatibus nominibus eleganter adjicitur. cfr. Cat. c. 20. §. 73. — *vaticinatum*) „Significatur, Empedoclem tamquam vatem divinitus instinctum canendo mundi mysteria patefecisse.“ — *contrahere amic. dissip. discord.*) Cfr. Empedoclem de rerum natura I, 40:

Ἄλλοτε μὲν Φιλότητι συνερχόμεν᾽ εἰς ἓν ἅπαντα,
Ἄλλοτε δ᾽ αὖ δίχ᾽ ἕκαστα φορεύμενα Νείκεος ἔχθει;

in quo neque Laelius neque Empedocles secum pugnant, ut quibusdam est visum. Nam si Discordia (*Νεῖκος*) sola dominaret, nihil omnino in toto mundo posset fieri, omniaque dissiparentur, et differrentur ea, quae vi quadam benevolentiaeque conjunctione contrahuntur; haec enim est significatio verbi *dissipare*, vid. Ramshorn. Synonym. — *in pericul. aut ad. aut com.*) *Adire pericula* amicus intelligitur solus pro altero; *communicat* vero pericul., qui comitem se praebet alteri adeunti. Vid. §. 22. extr. — *nova fabula*) dicitur primum acta. — *stantes plaud.*) nam assurgunt, quum quid placet, in plausum spectatores. Propert. III, 16. 18.

Stantiaque in plausum tota theatra juvent.

facile indicabat.) observat Gernh.: „Hoc hominum judicium ad naturae incorruptae vim revocatur; quod vacat invidia praesertim in re ficta. Namque vere facta cum suis moribus comparantes ad invidiam aut ad aliquam suspicionem saepe multi impelluntur. Ceterum ad *indicabat* notandum, Imperfectum nonnunquam adhiberi *ἀορίστως*, quum, quae praeterita sunt, eadem trahuntur in tempus praesens. cfr. infra c. 11. §. 39. — *quod ipsi — non possent*) ex mente audientium.

§. 25. *patronus justitiae*) Vid. Epitome libr. III. de Republica ex

ab istis saepe quaesivi et audivi, non invitus equidem; sed aliud quoddam filum orationis tuae. SCAEVOLA. Tum magis id diceres, Fanni, si nuper in hortis Scipionis, quum est de republica disputatum, affuisses: qualis tum patronus justitiae fuit contra accuratam orationem Phili! FANNIUS. Facile id quidem fuit justitiam justissimo viro defendere. SCAEVOLA. Quid amicitiam? Nonne facile ei, qui ob eam summa fide, constantia justitiaque servatam maximam gloriam ceperit?

Capitt. VIII. IX.

Instantibus igitur generis Laelius disputationem ingressus ortum amicitiae exponit; quam sibi non, ut quibusdam ab indigentia et imbecillitate, sed a natura videri dicit ortam. Principium enim amicitiae hoc esse, ut sensus quidam amoris existat, si, qui moribus et natura congruant atque quadam animorum cognatione inter se jungantur. Hunc deinde animi motum, qui inter optimos quosque vehementissimus est, vel consuetudine vel beneficio vel studio magis magisque exardescere, hincque ortum esse amicitiae; itaque fieri, ut omnis ejus fructus in amore inesse debeat, non in spe utilitatis.

26 VIII. LAELIUS. Vim hoc quidem est afferre! Quid enim refert, qua me ratione cogatis? Cogitis certe. Studiis

26. TEMPORIS CAUSA —

---

§. 26. — om. *enim* post *Quid* Cld. Beieri, ipso prob. — *ratione* ab. E. v. V. m. R. M. L. P. Billerb. B. — *rogatione* 3. 1. 2. G.

Augustino de civit. D. II, 21. *egitque* (Philus) *sedulo pro injustitia contra justitiam, ut hanc esse utilem reip. illam vero inutilem veri similibus rationibus et exemplis velut conaretur ostendere. Tum Laelius, rogantibus omnibus, justitiam defendere adgressus est, adseruitque, quantum potuit, nihil tam inimicum, quam injustitiam civitati, nec omnino nisi magna justitia geri aut stare posse rempublicam.* cf. ind. hist. voc. *Philus.*

C. VIII. §. 26. *studiis)* studia h. l. sunt eorum, qui quid habere cupiunt, ut Caecil. 14. *jam nunc mente et cogitatione prospicio, quae tum* s t u d i a *hominum, qui concursus futuri sint.* — *imbecillitas — inopia)* imbecillitas naturae humanae ut Tusc. V, 1. *Equidem eos casus in quibus me fortuna vehementer exercuit, mecum ipse considerans, huic incipio sententiae diffidere interdum, et humani generis* i m b e c i l l i t a t e m *fragilitatemque extimescere.* — *dandis recipiendisque)* recipere merita dixit pro remunerari, ut vulgares amicitias perstringeret; amissa

enim generorum, praesertim in re bona, quum difficile est, tum ne aequum quidem obsistere. Saepissime igitur mihi de amicitia cogitanti maxime illud considerandum videri solet, utrum propter imbecillitatem atque inopiam desiderata sit amicitia, ut in dandis recipiendisque meritis, quod quisque minus per se ipse posset, id acciperet ab alio vicissimque redderet; an esset hoc quidem proprium amicitiae, sed antiquior et pulchrior et magis a natura ipsa profecta alia causa. Amor enim, ex quo amicitia nominata, princeps est ad benevolentiam conjungendam. Nam utilitates quidem etiam ab iis percipiuntur saepe, qui simulatione amicitiae coluntur et observantur causa temporis: in amicitia autem nihil fictum, nihil simulatum; et,

---

enim reccipi dicuntur. — *an esset)* Beierus verbum Substantivum delevit; non fert videlicet Synesin V. D. In voc. *solet* enim, a quo pendet constructio, significatio non minus Praeteriti adest, quam Praesentis. Cfr. Paradox. prooem: *Cato enim duntaxat de magnitudine animi, de continentia, de morte, de omni laude virtutis, de Diis immortalibus, de caritate patriae, Stoice solet, oratoriis ornamentis adhibitis, dicere;* quum paullo ante dixisset: *Animadverti, Brute, saepe Catonem avunculum tuum, quum in senatu sententiam diceret, locos graves ex philosophia tractare, abhorrentes ab hoc usu forensi et publico* etc.; nec mirum; namque in ipsa significatione verb. *solere* notio inest Aoristi. — *proprium)* id dicitur, quod rei alicui convenit. — *antiquior et pulchrior)* i. e. potior et honestior. — *princeps est ad)* hoc est primaria causa, ut pro Arch. I, 1. *hunc video mihi p r i n c i p e m et ad suscipiendam et ad ingrediendam rationem horum studiorum exstitisse.* — *temporis causa)* magis placet lectio vulg. *causa temporis,* quam tuetur Gernh. Recte quidem Beierus praecedere, inquit, cum vi regimen in oppositione; atque id ipsum nostro loco requiritur, idque eo magis, quod fit oppositio per Emphasin, subaudito ad *causa temporis — non causa amicitiae.* cfr. infra c. 16. §. 57. et Orat. 55. 185. *Sed ut ceteris in rebus necessitatis inventa antiquiora sunt, quam voluptatis; ita et in hac re accidit, ut multis seculis ante oratio nuda ac rudis ad solos animorum sensus exprimendos fuerit reperta, quam ratio numerorum, c a u s a d e l e c t a t i o n i s aurium excogitata.* Nam hoc quoque loco non potest latere oppositio, subaudienda — *non necessitatis causa.* Potest autem hujus inversionis ratio reddi; quod regimen pertinens ad duo vel plura vocabula aut ante aut post haec poni solet. Cfr. Zumpt. Gr. c. 87. §. 789. Ceterum notandum, hoc genus inversionis imprimis Livio esse usitatum. — *nihil fictum, nihil simulatum)* *fictum* ad mores ejus, qui fingit, *simulatum* ad speciem, quam prae se fert homo fictus, referendum puta; cfr. Caecin. 5. *ficto officio simulataque sedulitate conjunctus.* Est igitur *simulare* vocabulum medium, opponiturque nostro loco in sequentibus voci *voluntarium. Simulare* respondet voci Graec. *εἰκάζειν, fingere*

27 quidquid in ea est, id est verum et voluntarium. Quapropter a natura mihi videtur potius, quam ab indigentia orta amicitia, et applicatione magis animi cum quodam sensu amandi, quam cogitatione, quantum illa res utilitatis esset habitura. Quod quidem quale sit, etiam in bestiis quibusdam animadverti potest; quae ex se natos ita amant ad quoddam tempus, et ab eis ita amantur, ut facile earum sensus appareat. Quod in homine multo est evidentius: primum ex ea caritate, quae est inter natos et parentes; quae dirimi nisi detestabili scelere non potest; deinde, quum similis sensus exstitit amoris, si aliquem nacti sumus, cujus cum moribus et natura congruamus, quod in eo quasi lumen aliquod probitatis et virtutis
28 perspicere videamur. Nihil est enim amabilius virtute; nihil,

§. 27. om. *res* post *illa* M. B. — om. *quoddam* a. Beda. — §. 28. *M. Curi Coruncani* Cld. Lips. Hinc. ∾ *M. Curi, Ti. Coruncani* B. Turbaverunt in his librarii: velut b. ; — G. *Celii Fabricii. M. Curii.* —

est πλάσσειν. cfr. infra c. 18. §. 65. — *et quidquid)* *et* h. l. pro *sed*, ut infra c. 22. §. 83.

§. 27. *videtur potius)* qui sic affirmat, alteram sententiam excludit. — *applicatione)* significatione translata a racemis vitis se admoventis ad ulmos. — *ad quoddam tempus)* i. e., ut noster N. D. II, 51. *Quid dicam, quantus amor bestiarum sit in educandis custodiendisque iis, quae procreaverunt, iisque ad eum finem, dum possint se ipsa defendere?* Altos enim et educatos dimittunt, quia bestiarum non est familia. — *nisi detestabili scelere)* id quod de L. Junio Bruto refert Liv. II, 5., et ibid. 41 de Cassio: *Quem* (Cassii filium) *ubi primum magistratu abiit damnatum necatumque constat. Sunt, qui patrem auctorem ejus supplicii ferunt: eum, cognita domi causa, verberasse ac necasse, peculiumque filii Cereri consecravisse. Signum inde factum esse, et inscriptum:* EX CASSIA FAMILIA DATUM. — *si aliquem)* i. e. quicunque est sive propinquus sive alienus, nullius neque aetatis, neque ordinis, neque generis ratione habita. Cfr. infra c. 23. §. 88. — *lumen—prob.)* i. e. exemplum, ducem, ut noster Fam. IV, 3. *Sed tamen, et Caesar ipse ita de te judicat: et omnes cives sic existimant: quasi lumen aliquod, extinctis ceteris, elucere sanctitatem et prudentiam et dignitatem tuam;* quum paullo ante de eodem: *Quare meminisse debes, eos, qui auctoritatem, et consilium tuum non sunt secuti, sua stultitia occidisse: cum tua prudentia salvi esse potuissent.* — *perspicere)* i. e. intus et in cute aliquem noscere. cfr. infra c. 17. §. 63.

§. 28. *amabilius — quod mag. allic. ad diligendum)* amare vehementiorem animi motum significat, diligere pulchriorem; ad Brut. I, 1. *L. Clodius, tribunus plebis, designatus, valde me diligit, vel, ut* ἐμφατικώτερον *dicam, valde me amat;* et ad Fam. XIII, 47. *Sed tamen, ut scires, eum a me non diligi solum, verum etiam amari, ob eam rem tibi haec scribo.* — *caritate — benevolentia)* Cfr. supra c. 6. §. 20. — *usurpare)* h. e.

quod magis alliciat ad diligendum; quippe quum propter virtutem et probitatem eos etiam, quos nunquam vidimus, quodam modo diligamus. Quis est, qui C. Fabricii, M'. Curii non cum caritate aliqua et benevolentia memoriam usurpet, quos nunquam viderit? Quis autem est, qui Tarquinium Superbum, qui Sp. Cassium, Sp. Maelium non oderit? Cum duobus ducibus de imperio in Italia decertatum, Pyrrho et Annibale: ab altero propter probitatem ejus non nimis alienos animos habemus, alterum propter crudelitatem semper haec civitas oderit.

IX. Quod si tanta vis probitatis est, ut eam vel in 29
eis, quos nunquam vidimus, vel, quod majus est, in hoste

---

§. 29. — del. *etiam* cum Old. censet Goer. — *possint* pro *possunt* V. R. L. P. — *quam* Beda. v. V. m. R. M. — *nasci* v. V. R. L. —

libenter et frequenter aliquid facere. cf. supra c. 2. §. 9. — *quos viderit*) quemadmodum Conjunctionis *quum* duplex est significatio causalis, id est, adversativa et affirmativa, sic Relativorum, hujus Conj. locum tenentium, duplex est ratio. Cfr. infra c. 21. §. 77. et de Orat. I, 18. *Namque egomet, qui sero ac leviter Graecas litteras attigissem, tamen cum proconsule in Ciliciam proficiscens Athenas venissem, complures tum ibi dies sum propter navigandi difficultatem commoratus?* — *propter crudelitatem*) vid. ind. hist. voc. Annibal.

Mirari se, cum tu argento post omnia ponas,
Si nemo praestet, quem non merearis, amorem?

Parad. III, 1. 20. *Peccare certe licet nemini. Quod autem non licet, id hoc uno tenetur, si arguitur non licere.* — *virtutem et bonitatem*) *virtus* in rebus gestis, *bonitas* in morum integritate cernitur. — *videantur*) i. e. existiment. — *studio, voluntate et propensione animi*, de altero bene merendi. — *animi et amoris*) Hendiadys. cfr. Nep. Epam. I, 3. *Quum autem exprimere imaginem consuetudinis atque vitae velimus Epaminondae, nihil videmur debere praetermittere* etc. et Cat. c. 19. §. 71. *Fructus autem senectutis est, ut saepe dixi, ante partorum honorum memoria et copia.* cfr. etiam supra c. 6. §. 20. infra c. 17. §. 64. — *admirabilis quaedam*) *quaedam* h. l. valet *admodum*, ut Off. II, 11. *et maxime justitia — mirifica quaedam multitudini videtur: nec injuria;* et Tusc. II, 4. *Te natura excelsum quendam videlicet et*

C. IX. §. 29. *vel in eis quos — vel quod —*) *vel — vel* non excludit, sed dividit. Cfr. Zumpt. Gr. c. 67. §. 338. — *in hoste etiam*) recte Gernh.: *Etiam* est h. l. *adeo*, postponendum illud, ut Fin. I, 13. 43. *sed universas familias evertunt: totam etiam labefactant saepe rempublicam.* — *quid mirum, si —*). cfr. infra c. 15 §. 54. et c. 11. §. 37. Horat. Sat. I, 1. 87.

etiam diligamus; quid mirum, si animi hominum moveantur, quum eorum, quibuscum usu conjuncti esse possunt, virtutem et bonitatem perspicere videantur? Quamquam confirmatur amor et beneficio accepto et studio perspecto et consuetudine adjuncta: quibus rebus ad illum primum motum animi et amoris adhibitis, admirabilis quaedam exardescit benevolentiae magnitudo. Quam si qui putant ab imbecillitate proficisci, ut sit, per quem assequatur, quod quisque desideret: humilem sane relinquunt, et minime generosum, ut ita dicam, ortum amicitiae, quam ex inopia atque indigentia natam volunt. Quod si ita esset; ut quisque minimum in se esse arbitraretur, ita
30 ad amicitiam esset aptissimus. Quod longe secus est. Ut enim

---

altum et humana despicientem genuit. Similis usus est Pronom. τὶς. Arist. Plut. 726. ὡς φιλόπολίς τις ἔσθ' ὁ δαίμων καὶ σοφός. cfr. infra c. 20. §. 75. — *quam si*) h. e. *sed eam si*. — *ut sit, per quem*) Notandus est transitus a re ad personam. — *generosum, ut ita dicam*) expurgat vocis usum scriptor adjecto *ut ita dicam*; *generosus* enim non de rebus, sed de personis illustri loco natis adhiberi solet; eodem modo noster per Pronomen *quidam* improprium usum expurgavit. Tusc. II, 6, 16. *Ergo id quod natura ipsa, et quaedam generosa virtus statim respuit.* Improprie vocem nihil excusatam posuit Nep. Cim. I, 3. *Hujus conjugii cupidus Callias quidam, non tam generosus, quam pecuniosus.* — *quam ex etc.*) recte Beierus: „Haec cum irrisione quadam repetunt sensum superiorum illorum: *quam putant ab imbecillitate proficisci.*" — *inopia atque indigentia*) *inopia* est absentia sive paucitas earum rerum, quae ad vitam necessariae sunt, *indigentia* de animo egentis dicitur et sensu; Tusc. IV, 9. *Indigentia est libido inexplebilis.* — *natam volunt*) *volo*, cum Participio junctum est *cupere*, cum Infinitivo, *existimare*.

§. 30. *Quid enim*) formula interrogationis ad instandum ante interrogationem sequentem, significatione eadem, qua *quidni* (τί γάρ; τί μήν;) Cic. Fin. II, 28. *Primum quid tu dicis breve? deinde dolorem quem maximum? quid enim? Summus dolor plures dies manere non potest? Vide ne etiam menses.* — *minime, hercle*) solet sic Cic. sibi ipse respondere; cfr. pro Rosc. Am. I, 2. *Quid ergo? audacissimus ego ex omnibus! Minime; at tanto officiosior, quam ceteri? ne istius quidem laudis ita sum cupidus, ut aliis eam praereptam velim.* — *ac ne ego*) duae sententiae, quibus duae res aequiparantur, per Particulam *ac, atque* necti solent; nos dicimus: und eben so. — *vicissim*) Graecorum αὖτε, ut Fat. 2. *cum hoc genere philosophiae, quod nos sequimur, magnam habet orator societatem. Subtilitatem enim ab Academia mutuatur, et ei vicissim reddit ubertatem orationis et ornamenta dicendi.* — *opinione fortasse nonnulla*) quaevis harum vocum modestiam olet; nam *opinio* dicere maluit, quam *existimatio*, adjectisque *fortasse nonnulla* id quoque minuit. — *multae et magnae*) copula *et* per Graecismum interposita, ut πολλὰ καὶ μεγάλα. cfr. Cic. de leg. agr. 2. 2.

quisque sibi plurimum confidit, et ut quisque maxime virtute et sapientia sic munitus est, ut nullo egeat suaque omnia in se ipso posita judicet: ita in amicitiis expetendis colendisque maxime excellit. Quid enim? Africanus indigens mei? Minime hercle! ac ne ego quidem illius: sed ego admiratione quadam virtutis ejus, ille vicissim opinione fortasse nonnulla, quam de meis moribus habebat, me dilexit; auxit benevolentiam consuetudo. Sed quamquam utilitates multae et magnae consecutae sunt, non sunt tamen ab earum spe causae diligendi profectae. Ut enim benefici liberalesque sumus, non ut 31
exigamus gratiam, — neque enim beneficium feneramur; sed natura propensi ad liberalitatem sumus, — sic amicitiam non spe mercedis adducti, sed quod omnis ejus fructus in ipso amore inest, expetendam putamus. At ii, qui pecudum ritu 32

§. 31. — *in ipso sit amore.* V. B. — *inest* B. — §. 32. *At ii* cum Codd. Facc. Lall. G. B. prob. Mosero. (*At hi* mavult Goer.) — *se* ab. E. pro *sese* — *sit.* B. nescio qua auctoritate.

versantur enim in animo meo m u l t a e e t g r a v e s *cogitationes, quae mihi nullam partem neque diurnae neque nocturnae quietis impertiunt;* et Sal. Jug. 62. *m u l t i s m a g n i s q u e praesidiis nequidquam perditis de integro bellum sumit;* Horat. Sat. II, 3. 9.

Atqui vultus erat m u l t a e t p r a e c l a r a *minantis,*
Si vacuum tepido cepisset villula tecto!

Cfr. Zumpt. Gr. c. 85. §. 757.

§. 31. *benefici liberalesque*) utrumque, *liberale et beneficum*, in virtutibus ponitur; sed qui *liberalis* est, ita alteri benefacit, ut humanitatis atque officii rationem habeat; *beneficus* autem, nullo ejusmodi respectu habito, nihil aliud curat, quam ut alteri subveniat ac benefaciat. Cfr. Off. II, 16. *L i b e r a l e s autem, qui suis facultatibus aut captos a praedonibus redimunt, aut aes alienum suscipiunt amicorum, aut in filiarum collocatione adjuvant, aut opitulantur vel in re quaerenda* vel augenda; et legg. I, 18. *Ubi enim beneficus, si nemo alterius causa benigne facit?* — *mercedis spe*) acerbe comparat eos, qui utilitatis causa amicitiam colunt, cum *mercenariis*; *merces* enim iis solvitur, qui operam suam alteri collocant.

§. 32. *at ii*) at h. l. objectio est ficti oblocutoris, quae contraria sententia refutatur; Cat. 19. 68. *sensi ego — omni aetati mortem esse communem.* — *At sperat adolescens diu se victurum: quod sperare idem senex non potest.* — *Insipienter sperat.* — *pecudum ritu*) vocem *ritus* nobiliorem cum quadam acerbitate ad pecudes transtulit. Ceterum Epicureos significat. — *nihil altum, nihil magnif. ac divin.*) *altus* dicitur, qui humana despicit. Voces *magnificum* ac *divinum* gradatio sunt vocis *altum.* — *suas omnis cogitationes*) cfr. infra c. 13. §. 45. — *quam qui appetiverunt*) Attende singularem Perfecti usum. Positum enim est h. l. pro tempore Praes., ut saepe in significanda all-

etiam diligamus; quid mirum, si animi hominum moveantur, quum eorum, quibuscum usu conjuncti esse possunt, virtutem et bonitatem perspicere videantur? Quamquam confirmatur amor et beneficio accepto et studio perspecto et consuetudine adjuncta: quibus rebus ad illum primum motum animi et amoris adhibitis, admirabilis quaedam exardescit benevolentiae magnitudo. Quam si qui putant ab imbecillitate proficisci, ut sit, per quem assequatur, quod quisque desideret: humilem sane relinquunt, et minime generosum, ut ita dicam, ortum amicitiae, quam ex inopia atque indigentia natam volunt. Quod si ita esset; ut quisque minimum in se esse arbitraretur, ita
30 ad amicitiam esset aptissimus. Quod longe secus est. Ut enim

---

altum et humana despicientem genuit. Similis usus est Pronom. τὶς. Arist. Plut. 726. ὡς φιλόπολίς τις ἔσθ' ὁ δαίμων καὶ σοφός. cfr. infra c. 20. §. 75. — *quam si*) h. e. *sed eam si.* — *ut sit, per quem*) Notandus est transitus a re ad personam. — *generosum, ut ita dicam*) expurgat vocis usum scriptor adjecto *ut ita dicam*; *generosus* enim non de rebus, sed de personis illustri loco natis adhiberi solet; eodem modo noster per Pronomen *quidam* improprium usum expurgavit. Tusc. II, 6, 16. *Ergo id quod natura ipsa, et quaedam generosa virtus statim respuit.* Improprie vocem nihil excusatam posuit Nep. Cim. I, 3. *Hujus conjugii cupidus Callias quidam, non tam generosus, quam pecuniosus.* — *quam ex etc.*) recte Beierus: „Haec cum irrisione quadam repetunt sensum superiorum illorum: *quam putant ab imbecillitate proficisci.*" — *inopia atque indigentia*) *inopia* est absentia sive paucitas earum rerum, quae ad vitam necessariae sunt, *indigentia* de animo egentis dicitur et sensu; Tusc. IV, 9. *Indigentia est libido inexplebilis.* — *natam volunt*) *volo*, cum Participio junctum est *cupere*, cum Infinitivo, *existimare.*

§. 30. *Quid enim*) formula interrogationis ad instandum ante interrogationem sequentem, significatione eadem, qua *quidni* (τί γάρ; τί μήν;) Cic. Fin. II, 28. *Primum quid tu dicis breve? deinde dolorem quem maximum? quid enim? Summus dolor plures dies manere non potest? Vide ne etiam menses.* — *minime hercle*) solet sic Cic. sibi ipse respondere; cfr. pro Rosc. Am. 1, 2. *Quid ergo? audacissimus ego ex omnibus? Minime; at tanto officiosior, quam ceteri? ne istius quidem laudis ita sum cupidus, ut aliis eam praereptam velim.* — *ac ne ego*) duae sententiae, quibus duae res aequiparantur, per Particulam *ac, atque* necti solent; nos dicimus: und eben so. — *vicissim*) Graecorum αὖτε, ut Fat. 2. *cum hoc genere philosophiae, quod nos sequimur, magnam habet orator societatem. Subtilitatem enim ab Academia mutuatur, et ei vicissim reddit ubertatem orationis et ornamenta dicendi.* — *opinione fortasse nonnulla*) quaevis harum vocum modestiam olet; nam *opinio* dicere maluit, quam *existimatio*, adjectisque *fortasse nonnulla* id quoque minuit. — *multae et magnae*) copula *et* per Graecismum interposita, ut πολλαὶ καὶ μεγάλαι. cfr. Cic. de leg. agr. 2. 2.

quisque sibi plurimum confidit, et ut quisque maxime virtute et sapientia sic munitus est, ut nullo egeat suaque omnia in se ipso posita judicet, ita in amicitiis expetendis colendisque maxime excellit. Quid enim? Africanus indigens mei? Minime hercle! ac ne ego quidem illius: sed ego admiratione quadam virtutis ejus, ille vicissim opinione fortasse nonnulla, quam de meis moribus habebat, me dilexit; auxit benevolentiam consuetudo. Sed quamquam utilitates multae et magnae consecutae sunt, non sunt tamen ab earum spe causae diligendi profectae. Ut enim benefici liberalesque sumus, non ut 31
exigamus gratiam, — neque enim beneficium feneramur; sed natura propensi ad liberalitatem sumus — sic amicitiam non spe mercedis adducti, sed quod omnis ejus fructus in ipso amore inest, expetendam putamus. At ii, qui pecudum ritu 32

§. 31. — in ipso sit amore. V. B. — inest B. [ ]. — §. 32. *At ii* cum Codd. Facc. Lall. G. B. prob. Mosero. (*At hi* mavult Goer.) — *se* ab. E. pro *sese* — *sit*. B. nescio qua auctoritate.

versantur enim in animo meo multae et graves cogitationes, quae mihi nullam partem neque diurnae neque nocturnae quietis impertiunt; et Sal. Jug. 62. *multis magnisque praesidiis nequidquam perditis de integro bellum sumit;* Horat. Sat. II, 3. 9.

Atqui vultus erat multa et praeclara minantis,
Si vacuum tepido cepisset villula tecto!

Cfr. Zumpt. Gr. c. 85. §. 757.

§. 31. *benefici liberalesque*) utrumque, *liberale* et *beneficum*, in virtutibus ponitur; sed qui *liberalis* est, ita alteri benefacit, ut humanitatis atque officii rationem habeat; *beneficus* autem, nullo ejusmodi respectu habito, nihil aliud curat, quam ut alteri subveniat ac benefaciat. Cfr. Off. II, 16. *Liberales autem, qui suis facultatibus aut captos a praedonibus redimunt, aut aes alienum suscipiunt amicorum, aut in filiarum collocatione adjuvant, aut opitulantur vel in re quaerenda vel augenda;* et legg. I, 18. *Ubi enim beneficus, si nemo alterius causa benigne facit?* — *mercedis spe*) acerbe comparat eos, qui utilitatis causa amicitiam colunt, cum mercenariis; *merces* enim iis solvitur, qui operam suam alteri collocant.

§. 32. *at ii*) *at* h. l. objectio est ficti oblocutoris, quae contraria sententia refutatur; Cat. 19. 68. *sensi ego* — *omni aetati mortem esse communem.* — *At sperat adolescens diu se victurum: quod sperare idem senex non potest.* — *Insipienter sperat.* — *pecudum ritu*) vocem *ritus* nobiliorem cum quadam acerbitate ad pecudes transtulit. Ceterum Epicureos significat. — *nihil altum, nihil magnif. ac divin.*) *altus* dicitur, qui humana despicit. Voces *magnificum* ac *divinum* gradatio sunt vocis *altum.* — *suas omnis cogitationes*) cfr. infra c. 13. §. 45. — *quam qui appetiverunt*) Attende singularem Perfecti usum. Positum enim est h. l. pro tempore Praes., ut saepe in significanda ali-

ad voluptatem omnia referunt, longe dissentiunt. Nec mirum! Nihil enim altum, nihil magnificum ac divinum suspicere possunt, qui suas omnes cogitationes abjecerunt in rem tam humilem tamque contemptam. Quamobrem hos quidem ab hoc sermone removeamus; ipsi autem intelligamus, natura gigni sensum diligendi et benevolentiae caritatem, facta significatione probitatis; quam qui appetiverunt, applicant sese et propius admovent, ut et usu ejus, quem diligere coeperunt, fruantur et moribus, sintque pares in amore et aequales, propensioresque ad bene merendum quam ad reposcendum. Atque haec inter eos sit honesta certatio. Sic et utilitates ex amicitia maximae capientur, et erit ejus ortus a natura quam ab imbecillitate et gravior et verior. Nam, si utilitas amicitias conglutinaret, eadem commutata dissolveret; sed quia natura mutari non potest, idcirco verae amicitiae sempiternae sunt. Ortum quidem amicitiae videtis, nisi quid ad haec forte vultis. FANNIUS. Tu vero perge, Laeli! pro hoc enim, qui minor

52. FIT

qua rei conditione naturali, vel in eo, quod fieri solet. Cfr. Virg. Aen. II, 12. *Quamquam animus meminisse horret, luctuque refugit*, Ovid. Met. V. 677.

Nunc quoque in alitibus facundia prisca remansit.

Conferendus omnino cum hoc Perfecto usus Graecorum, ut Il. I, 37. *Κλῦθί μευ, Ἀργυρότοξ', ὃς Χρύσην ἀμφιβέβηκας.* cfr. infra c. 23. §. 86. *applicant — se — admovent*) *applicant* consuetudinis causa, spectatque hoc verbum ad vocem seq. *usu*; *admovent* percipiendi causa, referendumque id quidem ad voc. *moribus*. — *pares — et aequales*) eae res, de quarum aequalitate jam constat, *aequales* dicuntur; *pares* autem, quas comparatione facta *aequales* esse apparet. Valde huc locus facit Sallustianus Catilin. c. 54. *Igitur his genus, aetas, eloquentia prope aequalia fuere: magnitudo animi par, item gloria; sed alia alii. Caesar beneficiis ac munificentia magnus habebatur; integritate vitae Cato. Ille mansuetudine et misericordia clarus factus: huic severitas dignitatem addiderat. Caesar dando, sublevando; Cato nihil largiundo gloriam adeptus.* Dicit igitur: studeant in amicitia se meritis exaequare. Inde autem fiet, quam dicit, inter ipsos bene merendi certatio. — *verae amic. sempit.*) ut Isocrat. ad Dem. 1. §. 3. *τὰς τῶν σπουδαίων φιλίας οὐδ' ἂν ὁ πᾶς αἰὼν ἐξαλείψειεν.* — *ortum quid amic. vid.*) h. e. qualis ortus amicitiae sit et confectum esse de eo sermonem, videtis. — *ad haec*) *ad* h. l. pro *adversus* positum est, ut pro Coel. 4. 9. *Verum ad istam omnem orationem brevis est defensio.*

est, natu, meo jure respondeo. SCAEVOLA. Recte tu quidem; quamobrem audiamus! 33

Caput X.

Tum dicturus Laelius, quae de amicitia praecipiat, antequam hunc sermonem ipsum ingreditur, dictum laudat Scipionis, quod is dicere solitus sit, raro amicitiam ad extremam permanere vitam; dirimi enim nunc moribus vel fortuna mutata, nunc contentionibus commodorum, nunc postulationibus inhonestis.

X. LAELIUS. Audite ergo, optimi viri, ea, quae saepissime inter me et Scipionem de amicitia disserebantur. Quamquam ille quidem nihil difficilius esse dicebat, quam

---

§. 33. — v. *de amic.* B. []. — *extr. vitae* cum Cdd. 5. Seqq. — *vitae diem* ab E. Beda. Edd. ante Graev. — *sentiretur* E. r. V. L. F. B. ∾ *sentirent* Ceteri. — v. *saepe illic* suspecta Grutero. B. []. —

C. X. §. 33. *ergo*) hortationi inservit. — *quamquam ille*) Conjunctio *quamquam* h. l. est corrigentis. Non enim, ut jam instituerat, Scipionis praecepta de amicitia affert, sed sententiam de amicitiae stabilitate exponit. — *extremum vitae*) Neutra Adjectivorum pro Substantivis usurpare solent scriptores Lat., praesertim ante Genit. Cfr. Cic. Fam. VI, 21. *una ratio videtur, quicquid evenerit, ferre moderate; praesertim cum omnium rerum mors sit* e x t r e m u m; et Cat. 20. 72. *Ita fit, ut illud breve* r e l i q u u m *nec avide appetendum senibus, nec sine causa deserendum sit*; item Nep. Chabr. I, 2. *Id* n o v u m *Agesilaus contuens progredi non est ausus, suosque jam incurrentes tuba revocavit.* Vid. Zumpt. Gr. c. 73. §. 435 cum adnot., et supra IV. §. 14. — *alias — alias*) i. e. *nunc — nunc* ut Invent. I, 52. 99. *Atque hic — licebit* a l i a s *singillatim transire omnis argumentationes,* a l i a s *ad partitiones singula genera referre,* a l i a s *ab auditore, quid desideret, quaerere,* a l i a s *haec facere per comparationem.* Cfr. etiam Cat. c. 15. §. 51. *nec unquam sine usura reddit (terra), quod accepit, sed* a l i a s *minore, plerumque majore cum foenore.* — *aetate ingravescente*) i. e. aetate senili appropinquante; ut Cat. c. 2. §. 6. *gratissimum nobis — feceris, si, quoniam speramus, volumus quidem certe senes fieri, multo ante te didicerimus, quibus facillime rationibus* i n g r a v e s c e n t e m *aetatem ferre possimus.* et de Divin. II, 6. *Medicus morbum* i n g r a v e s c e n t e m *ratione providet, insidias imperator, tempestates gubernator.* — *ineuntis aetatis*) h. e. adolescentiae. Cfr. Cat. c. 20. 76. *Sunt pueritiae certa studia; num igitur ea desiderant adolescentes? sunt et* i n e u n t i s *adolescentiae; num ea constans jam requirit aetas, quae media dicitur?* — *cum praetexta dep.*) „Quem Romani e pueris dimittere vellent, hunc puerili vestitu (i. e. toga purpura praetexta) abjecto, toga pura, quae virorum erat, amictum in forum

amicitiam usque ad extremum vitae permanere. Nam vel, ut non idem expediret, incidere saepe; vel, ut de re publica non idem sentiretur; mutari etiam mores hominum saepe dicebat, alias adversis rebus, alias aetate ingravescente. Atque earum rerum exemplum ex similitudine capiebat ineuntis aetatis, quod summi puerorum amores saepe una cum praetexta ponerentur.
34 Sin autem ad adolescentiam perduxissent, dirimi tamen interdum contentione vel uxoriae conditionis vel commodi alicuius, quod idem adipisci uterque non posset. Quod si qui longius in amicitia provecti essent, tamen saepe labefactari, si in honoris contentionem incidissent: pestem enim maiorem esse nullam in amicitiis, quam in plerisque pecuniae cupiditatem; in optimis quibusque honoris certamen et gloriae: ex quo inimicitias maximas saepe inter amicissimos exstitisse.

---

§ 34. — *vel contentione uxoriae conditionis* L. — *vel luxuriae conditione* b. E. cum Cdd. plerisq. v. V. R. — *vel luxuriae, vel conditionis.* Beda m. M. P. —

solenni pompa ducebant propinqui, aptum jam forensibus rebus et publicis negotiis agendis civem declaraturi." Beier.

§. 34. *produxissent*) repetendum Objectum ad Verb. transit. ex praecedentibus, sc. *amores*; similiter *agricolendi studia* intelligenda sunt in Cat. M. 17. 60. *M. quidem Valerium Corvum accepimus ad centesimum annum perduxisse, cum esset acta jam aetate in agris, eosque coleret.* — *contentio rei uxoriae*) Not. Gernh.: *contentio rei uxoriae* est, cum duo eandem uxorem poscunt; et in repudiis haec erat usitata verborum formula: *tua conditione non utar.* — *provecti — incidissent*) haec quidem metaphorice; *longius provehi* et *incidere*, sc. in scopulos, naves dicuntur. — *in plerisque*) Notanda h. l. significatio vocis *plerique*; opponitur enim voci *optimis* in sequentibus, ut sit Graecorum οἱ πολλοί i. e. *multitudo, vulgus.* Ceterum sententia *pestem enim — cupiditatem* reddit rationem antecedentium *dirimi tamen — non posset*; haec autem *in optimis — gloriae* ad illa *si in honoris — incidissent* referenda. Similem chiasmum habes apud Liv. XXI, 11: *Simul crescit inopia omnium longa obsidione, et minuitur exspectatio externae opis, quum tam procul Romani, unica spes, circa omnia hostilium essent.* — *honoris certamen*) recte laudavit Gernh. Sall. Catil. 10. *Ambitio multos mortalis falsos fieri subegit; aliud clausum in pectore, aliud in lingua promptum habere; amicitias inimicitiasque non ex re, sed ex commodo aestumare, magisque vultum, quam ingenium bonum habere.* — *ex quo inimicitias max. — exstitisse*) pro *inimicitiae maximae exstitissent.* Ponitur interdum in oratione obliqua a Relativis incipiente Accusativus cum Inf. pro Conjunctivo. Hunc autem Infinitivum ita tantum scriptores admittere videntur, si in narratione graves esse volunt et pathetici, ut Nep. Them. 7. 2. *Nam illorum ur-*

Magna etiam dissidia et plerumque iusta nasci, quum aliquid ab amicis, quod rectum non esset, postularetur, ut aut libidinis ministri aut adiutores essent ad iniuriam; quod qui recusarent, quamvis honeste id facerent, ius tamen amicitiae deserere arguerentur ab iis, quibus obsequi nollent. Illos autem, qui quidvis ab amico auderent postulare, postulatione ipsa profiteri, omnia se amici causa esse facturos. Eorum querela inveteratas non modo familiaritates exstingui solere, sed etiam odia gigni sempiterna. Haec ita multa quasi fata impendere amicitiis, ut omnia subterfugere non modo sapientiae, sed etiam felicitatis diceret sibi videri. 35

Capitt. XI. XII.

Primum autem id esse praecipiendum, ne inhonesta ac nefaria petentibus amicis amici obsequantur; de quo Ti. Gracchi exemplum affert. Nam, ut concedant sibi invicem, quae rogentur, amici, ita demum recte posse statui, si semper, inter quos intercedat familia-

35. INIURIAM. QUOD — NOLLENT; ILLOS.

---

§. 35. — *inveteratas* cum Cdd. 3. Seqq. — *inveterata* ab. E. Codd. ante Graev. — *itaque* a. v. (— *multa ita* m.) — *fato* V. R. P.

bem ut propugnaculum oppositam esse barbaris, apud quam jam bis classes Regias fecisse naufragium.

§. 35. *arguerentur*) Gernh. Conjunctivum h. l. pro Infinitivo esse contendit, comparatque locum Ciceronis Off. III, 11. 49. *Classem incendi posse, quo facto frangi Lacedaemoniorum opes necesse esset.* At hoc quidem loco Conjunctivus pendet a Relativo *quo*, idem de loco Taciti Agr. 15. est dicendum. Hic autem Conjunct. recte, si quid video, se habet, modo punctum post *injuriam* sustuleris. Nam per Relativum *quod* h. e. *id autem* repetitur ex praecedentibus ad Verbum *arguerentur* Conj. *quum*. Ne constructionem sic impeditiorem esse dicas, tenendum est haec — *ut aut libidinis ministri aut adjutores essent ad injuriam* — διὰ μέσου esse dicta; est igitur ordo constructionis hic: — *quum aliquid ab amicis — postularetur —; id autem qui recusarent — jus amicitiae deserere arguerentur ab* etc. — Ad *quod* pro *id autem* cfr. supra c. 9. §. 29. et infra c. 13. §. 48. — *inveteratas*) *amicitias* noster dixit ut Fam. III, 9. *pro nostra, non instituta, sed jam inveterata amicitia, cures enitare,* ut etc. — *illos autem*) *autem* h. l. rationem apponit, usurpatum pro *enim*; ut haec novam ordiantur sententiam. Cfr. supra c. 1. §. 1. et c. 6. §. 20. — *ita multa*) sq. numero — *non modo — sed etiam*) ad *non modo — sed etiam* non referendum est *diceret*, sed *videri*. Ceterum *diceret sibi videri* per attractionem dictum pro *ipsi videretur*, ut dicebat. —

ritas, tales essent, quales Papus Aemilius et C. Luscinus, quales M'. Curius et Ti. Coruncanius feruntur. Hanc igitur legem in amicitia sanciendam esse docet, ne res turpes ipsi rogemus ab amicis neve rogati faciamus; eandem autem poenam, quae sceleris duci, statuendam esse ei, qui amici causa peccaverit.

36 XI. Quamobrem id primum videamus, si placet, quatenus amor in amicitia progredi debeat. Num si Coriolanus habuit amicos, ferre contra patriam arma illi cum Coriolano debuere? Num Viscellinum amici, regnum appetentem, num
37 Sp. Maelium debuerunt iuvare? Ti. quidem Gracchum, rem publicam vexantem a Q. Tuberone aequalibusque amicis derelictum videbamus. At C. Blossius Cumanus hospes familiae

56. DEBUERUNT? — 57. HANC, UT —

§. 37. — *et aequalibus* C1d. et Ed. vet. Beieri, cui suspecta est haec adjectio. — Sic distinguunt 3. 1. 2. B. — *sed si voluisset, paruissem* G. cum Prioribus. — v. *Videtis* B. [].

§. 36. — *si habuit amicos*) i. e. *si quos habuit*, vel *quos habuit*; nam Indicativo non dubium est, id esse, quod per hypothesin ponitur.

§. 37. *Ti. quidem Gracch.*) cfr. supra c. 7. §. 24. de usu Part. *quidem*. — *rempubl. vexantem*) i. e. *insidiantem reip.*, ut pro Rosc. Am. 49. *Idcircone expergefacta nobilitas armis atque ferro rempublicam recuperavit, ut ad libidinem suam liberti servulique nobilium bona, fortunas vestras nostrasque vexare possent?* — *at C. Blossius — afferebat.*) haec contractius dicta pro: *at C. Blossius eum sectabatur; qui quidem — afferebat.* Ceterum *at* h. l. est pro *contra* vel *sed*, ut Cat. 10. 31. *et tamen dux ille Graeciae nusquam optat, ut Ajacis similes habeat decem, at ut Nestoris.* — *in consilio*) Nova quaestione constituta adfuit in consilio Laelius, ut cognosceret de crimine Gracchi. — *hanc, ut sibi ignoscerem*) lege *cur* pro *ut*; nam voculae *cur* lit. initialis c in *hanc* proxime antecedente delituit. Haec autem *ut sibi ignoscerem* inepte sic ex mente Blossii dicuntur, *cur sibi ignoscerem* recte. Deinde sententia *ut sibi ign.* non pendet ab *hanc*, sed ab (hanc) *causam*, quod post vocabulum noster *cur* amat, non *ut*. Infra quoque c. 13. §. 48. *cur* et *ut* commutantur, ubi *cur* praetulerunt editores. — *si te — vellet*) i. e. si voluisset. De usu Imperfecti Conj. pro Plusquamperfecto in sententiis conditionalibus vid. supra c. 4. §. 13. — *non — sed praef.*) pro *non solum, sed praef.*, ut alias Cicero in Correctione solet, cfr. Cat. c. 1. §. 1. Ad h. l. facit Liv. XXI. 41. *Unusquisque se non corpus suum, sed conjugem ac liberos parvos armis protegere putet.* — *hac amentia*) i. e. eadem amentia, qua rempublicam vexavit. Vide autem, ne praestet legere h. l. *atque* pro *itaque*. — *profugit — contulit — persolvit*) de hoc Perfecti usu cfr. Zumpt. Gr. c. 76. §. 500. Ceterum verbum *profugere* proprie usurpatur de extorribus exulibusque. — *ad hostes*) Ad Aristonicum, regis Eume-

vestrae, Scaevola, quum ad me, qui aderam Laenati et Rupilio consulibus in consilio, deprecatum venisset, hanc, ut sibi ignoscerem, causam afferebat, quod tanti Ti. Gracchum fecisset, ut, quidquid ille vellet, sibi faciendum putaret. Tum ego: Etiamne, si te in Capitolium faces ferre vellet? „*Nunquam*, inquit, *voluisset id quidem.*" Sed, si voluisset? „*Paruissem.*" Videtis, quam nefaria vox. Et hercle ita fecit, vel plus etiam, quam dixit: non enim paruit ille Ti. Gracchi temeritati, sed praefuit; nec se comitem illius furoris, sed ducem praebuit. Itaque hac amentia, quaestione nova perterritus, in Asiam profugit, ad hostes se contulit, poenas reipublicae graves iustasque persolvit. Nulla est igitur excusatio peccati, si amici causa peccaveris: nam, quum conciliatrix amicitiae virtutis opinio fuerit, difficile est amicitiam manere, si a virtute defeceris. Quod si rectum statuerimus vel concedere amicis, 38
quidquid velint, vel impetrare ab eis, quidquid velimus: perfecta quidem sapientia simus, si nihil habeat res vitii; sed loquimur de iis amicis, qui ante oculos sunt, quos vidimus aut de quibus memoriam accepimus, quos novit vita communis. Ex hoc numero nobis exempla sumenda sunt, et eorum quidem maxime, qui ad sapientiam proxime accedunt. Vide- 39

---

§. 38. — *sap. simus* E. L. 1566. 1. G. B: — *sumus* b. v. V. m. R. M. — *Videmus qui de quibus* ab. E. r. m. M. L. B. — *aut quos* Ceteri. — §. 39. — *vidimus* v. V. R. — del. *et* 2. G. — *et minimus tum*

nis filium, cujus rebus afflictis, sibi ipse manum intulit. — *si peccaveris*) non est sententia conditionalis; quae si esset, sensus oriretur hic: Si amici causa peccaveris, nulla est excusatio peccati; at est, si alia de causa peccaveris. Quod est absurdum. Pertinet autem *si* ad vocem *excusatio*, positum pro *quod*; unde sensus existit talis: Amici causa peccasse, nulla est peccati excusatio. cfr. supra c. 9. §. 29.

§. 38. *simus, si nihil hab.*) alii *si* transponunt; sed nihil mutandum. Cfr. Epist. ad Fam. XI. 21. *Sim enim impudens, si plus postulem*; et Off. III, 10: *Nam si omnia facienda sint, quae amici velint, non amicitiae tales, sed conjurationes putandae sint.* — *quos novit vita communis*) Recte ante *quos* Beierus delevit *aut*; sensus enim est: loquor de his amicis, qui nunc vivunt (ante oculos sunt), qui nostra aut patrum nostrorum memoria vixerunt; id est, de talibus, quos novit vita communis. Quae quidem sententia extrema eos amicos generaliter comprehendit, quos in enumeratione antecedenti distinxit.

§. 39. *videmus*) i. e. ex historia

mus Papum Aemilium C. Luscino familiarem fuisse — sic a patribus accepimus — bis una consules, collegas in censura; tum et cum iis et inter se coniunctissimos fuisse M'. Curium et Ti. Coruncanium memoriae proditum est. Igitur ne suspicari quidem possumus, quemquam horum ab amico quippiam

---

9. 3. (— *et minime tum quidem acer Cajus* L. P.) — *tunc* Cdd. aliq. m. M. P. G. *tum* Ceteri.

scimus. Solet enim Cic. *vidimus* de tempore uti, in quo vixerunt sermocinantes, *videmus* de longe remotis ab illorum aetate temporibus; ut in Bruto 14, 54: *Videmus item paucis annis post reges exactos M. Valerium sedavisse discordias.* — *consules, collegas*) Eleganter Beierus: Ἀσυνδέτως collegarum illud nobile par arctius etiam copulari sentimus aeterno quodam nodo. — *tum*) sc. *accepimus.* — *contra fidem, contra jusjur. contra remp.*) homines ut privati *contra fidem*, ut magistratus *contra jusjurandum*, ut cives *contra rempublicam* peccant. Eandem sententiam noster expressit Off. III, 10: *At neque contra rempublicam, neque contra jusjurandum ac fidem amici causa vir bonus faciet, ne si judex quidem erit de ipso amico.* — *quid attinet*) *attinet* impersonaliter pro *opus est*, ut Fin. IV, 22: *quid attinuit cum his, quibuscum re concinebat, verbis discrepare.* — *At vero*) in gravi affirmatione ponitur, negata alia re, ad illustrandam et confirmandam veritatem alius rei. Cfr. Off. II, 23: *Quid? nostros Gracchos — nonne agrariae contentiones perdiderunt? At vero Aratus Sicyonius jure laudatur, qui — rempublicam adventu suo liberavit*; et ad Att. V, 11: *Hui, totiesne me literas dedisse Romam, cum ad te nullas darem? At vero posthac frustra potius dabo, quam, si recte dari potuerint, committam, ut non dem.* — *sequebantur C. Carbo — — acerrimus*) Locus multum vexatus. Immerito. Lapsi autem sunt interpretes in ratione Temporis *sequebantur* non satis perspecta. Exspectare debemus, ut in re gesta, *secuti sunt.* At Imperfecto posito indicat scriptor, hos, sc. Carbonem, Catonem non solum *antehac secutos esse* Gracchum, sed *etiam nunc sequi;* quod quum de praeterito quidem tempore in Cajum non quadraret, hunc quidem additamento illo — *et minime tum quidem* sc. *secutus est* — eximere necesse habuit, ejusque sectationem Tiberii fratris in tempus praesens concludit, dicto *nunc idem acerrimus.* Distinguendum igitur post *et* (*et* enim tenendum est propter Suspensionem); *acerrimus* autem Adverbii loco positum (cfr. Zumpt. Gr. c. 84. §. 682) referri debet ad *sequebantur.* De usu Imperfecti modo commemorato exempla sint: Cat. c. 1. §. 2: *Sed mihi, cum de senectute aliquid vellem scribere, tu occurrebas dignus eo munere, quo uterque nostrum communiter uteretur.* Dicit enim: „tu dignus eo munere et antea occurristi et nunc occurris.“ Item Terent. Andria IV, 1. 23.

C. *Non tibi satis esse hoc visum solidum est gaudium,*
Nisi me lactasses amantem, et falsa spe produceres?

produceres dixit Charinus indicans, se non modo vana spe productum fuisse, sed etiam nunc produci. Cfr. etiam Clark. ad Homerum. Il. α. 37. et supra c. 7. §. 24.

contendisse, quod contra fidem, contra iusiurandum, contra rempublicam esset. Nam hoc quidem in talibus viris quid attinet dicere, si contendisset, impetraturum non fuisse; quum illi sanctissimi viri fuerint; aeque autem nefas sit tale aliquid et facere rogatum et rogare? At vero Ti. Gracchum sequebantur C. Carbo, C. Cato, et minime tunc quidem Caius frater, nunc idem acerrimus.

XII. Haec igitur lex in amicitia sanciatur, ut neque 40
rogemus res turpes nec faciamus rogati. Turpis enim excusatio est et minime accipienda, quum in ceteris peccatis, tum si quis contra rempublicam se amici causa fecisse fateatur. Etenim eo loco, Fanni et Scaevola, locati sumus, ut nos longe prospicere oporteat futuros casus reipublicae. Deflexit iam aliquantulum de spatio curriculoque consuetudo maiorum. Ti. 41

39. ET MINIME —

---

§. 41. — *in Scipione* cum Cdd. prob. Goer. B. — *in P. Scipionem* a. V. m. M. 1. 2. G. — *in P. Scipione Nasica* b. — *C. autem Gracchi* sic ab Rog. in lemmate prob. Goer. B. — *de C. Gracchi autem* Ceteri. —

C. XII. §. 40. *turpis enim exc.*) i. e. honestas non admittit talem excusationem. — *eo loco locati sumus*) i. e. in eo ordine atque conditione reipublicae sumus, ut etiam futuro statui providere civitatis nos oporteat. Cfr. Brut. 57: *omnium causarum unum est naturale principium, una peroratio; reliquae partes, quasi membra, suo quaeque loco locata suam et vim et dignitatem tenent.* *Prospicere* autem h. l. ita adhibitum est, ut notionem vocis *consulere* involvat, ut: Verr. I, 38: *habemus liberos parvos — consulere vivi ac prospicere debemus, ut illorum solitudo et pueritia quam firmissimo praesidio munita sit.* — *aliquantulum*) i. e. *multum*, ut Liv. XXI, 12: *Is et proelia aliquot secunda fecit, et tribus arietibus aliquantulum muri discussit; strataque omnia recentibus ruinis advenienti Hannibali ostendit.* et Parad. III, 1. *Auri navem evertat gubernator, an paleae; in re aliquantulum, in gubernatoris inscientia nihil interest.* — *spatio curriculoque*) Synonyma sunt *spat.* et *curr.*; sed differunt, quod hujus fines sunt arctiores vel certius praescripti. Cfr. pro C. Rabir. 2. 6: *Nunc quoniam — obstitisti, meque ex comparato et constituto spatio defensionis in semihorae curriculum coëgisti, parebitur.* — *consuetudo majorum*) i. e. mos majorum.

§. 41. *simile audierat aut viderat*) per Hyperbolen ne similes quidem haberi vult Ti. Graccho Spur. Cassium et Sp. Maelium regnum appetentes, de quibus §. 36. — *in P. Scipione effecerint*) Praepositio *in* post verba *facere, efficere, exercere, pugnare* aliaque ejusdem significationis non Accusativum poscit, sed Ablativum; hujus autem constructionis canon sanciendus, ni fallor, hic est, ut illa verba *in* cum Ablativo ita tantum admittant, si, in homine

Gracchus regnum occupare conatus est, vel regnavit is quidem paucos menses. Num quid simile populus Romanus audierat

---

quod fit, tamquam exemplum testimoniumve a scriptoru ostendatur. Cfr. Cic. Phil. 14. 3: *Refugit animus, patres conscripti, eaque dicere reformidat, quae L. Antonius in Parmensium liberis et conjugibus effecerit;* ad Fam. VI, 6: *ut quo admirari soleo gravitatem et justitiam et sapientiam Caesaris; numquam, nisi honorificentissime, Pompejum appellat. At in ejus personam multa fecit asperius. Armorum ista et victoriae sunt facta, non Caesaris;* de Orat. II, 55: *Sed ut in Scaevolam continuit ea Crassus, atque illo altero genere, in quo nulli aculei contumeliarum inerant, causam illam, disputationemque lusit. Sic in Bruto, quem oderat, et quem dignum contumelia judicabat, utroque genere pugnavit.* Caes. Bell. Gall. II, 32: *sed deditionis nullam esse conditionem, nisi armis traditis: se id, quod in Nerviis fecisset, facturum finitimisque imperaturum, ne quam dedititiis Populi Romani injuriam inferrent;* Nep. Dion. c. 6. 2: *Primum in filio, de quo commemoravi supra, saevitiam suam* (fortuna) *exercuit;* idem Phoc. c. 4. extr. *In hoc tantum fuit odium multitudinis, ut nemo ausus sit eum liber sepelire;* Liv. XXVIII, 43: *Illud nec tibi in me, neu mihi in minoribus natu animi sit, ut nolimus, quemquam nostri similem evadere civem.* Hic tamen Ablativi usus non potest componi cum Ablativo Verbi *peccare*, quum significatur, in quo peccatum aliquod constet. cfr. infra §. 42. Ceterum *P. Scipio* intelligitur *Nasica Serapio* is, qui Ti. Gracchum interemit; quem qua poena persecuti sint Gracchi amici, docet ind. hist. — *non queo*) Notandum verbum *quire* in negativis plerumque enunciationibus locum habere. — *poenam*) pro caede dixit Laelius expurgans illud Scipionis patrumque facinus. — *sustinuimus*) ad vitandam majorem invidiam et indignationem plebis. Tribunus enim a. U. 622. Ti. Gracchi mortem deplorarat populumque turbulentis concionibus contra Africanum sollicitarat. — *de C. Gracchi autem trib.*) non fuit quidem tum Cajus tribunus plebis, sed petebat tribunatum. — *tabella*) Ante annum U. C. DCXIV suffragia voce ferebantur. Postea legibus Gabinia, Cassia, aliisque constitutum est, ut per tabellam tacito ferrentur. Leges istae tabellariae libertati faventes optimatium auctoritatem infirmarunt. Cfr. legg. III, 16: *Quamobrem suffragandi nimia libido in non bonis causis eripienda fuit potentibus; non latebra danda populo, in qua, bonis ignorantibus, quid quisque sentiret, tabella vitiosum occultaret suffragium. — Sunt enim quatuor leges tabellariae: quarum prima de magistratibus mandandis. Ea est Gabinia, lata ab homine ignoto et sordido. Secuta biennio post Cassia est de populi judicio. Ea a nobili homine lata, L. Cassio, sed; — pace familiae dixerim, — dissidente a bonis atque omnes rumusculos populari ratione aucupante.* — *labes*) pro *pernicie* maluit noster eleganter et cum respectu vocis *labitur* in antecedentibus. — *videre jam videor*) ut assolet noster in oratione graviori. — *multitudinis*) per Asyndeton graviter in tali vaticinatione. — *arbitrio*) Cfr. pro Planc. 4. 9. *Non enim comitiis judicat semper populus, sed movetur plerumque gratia. Non est enim consilium in vulgo, non ratio, non discrimen, non diligentia.* — *plu-*

aut viderat. Haec etiam post mortem secuti amici et propinqui quid in P. Scipione effecerint, sine lacrimis non queo dicere. Nam Carbonem, quoquo modo potuimus, propter recentem poenam Ti. Gracchi sustinuimus. De C. autem Gracchi tribunatu quid expectem, non libet augurari. Serpit deinde res, quae proclivius ad perniciem, quum semel coepit, labitur. Videtis, in tabella iam ante quanta sit facta labes, primo Gabinia lege, biennio autem post Cassia. Videre iam videor populum a Senatu disiunctum, multitudinis arbitrio res maximas agi. Plures enim discent, quemadmodum haec fiant, quam quemadmodum his resistatur. Quorsum haec? quia sine sociis 42
nemo quidquam tale conatur. Praecipiendum est igitur bonis, ut, si in eiusmodi amicitias ignari casu aliquo inciderint, ne existiment ita se alligatos, ut ab amicis in re publica peccantibus non discedant: improbis autem poena statuenda est, nec vero minor iis, qui secuti erunt alterum, quam iis, qui ipsi fuerint impietatis duces. Quis clarior in Graecia Themistocle? quis potentior? qui quum imperator bello Persico servitute Graeciam liberasset, propterque invidiam in exsilium missus

§. 42. — *in re publica* G. B. — *in magna aliqua re* (= *re al.* v. m. R. L. M. P.) *in rem publicam* p. a. v. m. R. M. L. P. — *lib. a serv.* a. — om. *servitute* b. — *vi servitute* b.

res enim — — resistatur) Cfr. Off. II, 8: *Nec vero unquam bellorum civilium semen et caussa deerit, dum homines perditi hastam illam cruentam et meminerint, et sperabunt; quam P. Sulla quum vibrasset, dictatore propinquo suo, idem, sexto tricesimo anno post, a sceleratiore hasta non recessit. Alter autem, qui in illa dictatura scriba fuerat, in hac fuit quaestor urbanus*; et pro P. Sext. 47. init. *Majoribus praesidiis et copiis oppugnatur respublica, quam defenditur, propterea, quod audaces homines et perditi nutu impelluntur, et ipsi etiam sponte sua contra rempublicam incitantur; boni nescio quomodo tardiores sunt, et, principiis rerum neglectis, ad extremum ipsa denique necessitate excitantur.*

§. 42. *propterque invidiam*) Conjunctiones *que, et, ac, atque* non raro locum obtinent Conjunct. adversativarum. Cfr. Cic. Tusc. I, 3. 6: *fieri autem potest, ut recte quis sentiat, et id, quod sentit, polite eloqui non possit*; et Caes. Bell. Gall. II, 11: *quum ab extremo agmine — sustinerent, prioresque omnes in fuga sibi praesidium ponerent.* Cfr. etiam Brem. ad Nep. Paus. 3, 7. et Held. ad Caes. Bell. Civ. I, 74. item supra c. 8. §. 26. extr. — *ingrat. patriae injur.*) Cfr. Zumpt. Gr. c. 87. §. 788. — *ferre debuit*) Cfr. supra c. 2. §. 8.

esset, ingratae patriae iniuriam non tulit, quam ferre debuit: fecit idem, quod xx annis ante apud nos fecerat Coriolanus. His adiutor contra patriam inventus est nemo: itaque mortem
43 sibi uterque conscivit. Quare talis improborum consensio non modo excusatione amicitiae tegenda non est, sed potius omni supplicio vindicanda, ut ne quis [sibi] concessum putet, amicum vel bellum patriae inferentem sequi. Quod quidem, ut res coepit ire, haud scio, an aliquando futurum sit. Mihi autem non minori curae est, qualis respublica post mortem meam futura sit, quam qualis hodie sit.

Caput XIII.

Illud autem primum officiorum in amicitia statuit, ut consilio et opera ultro adsis amico; neque audiendos esse evincit philosophos quosdam, qui partim nimias amicitias curasque propter rationem molestiarum fugiendas esse, partim praesidii adjumentique causa expetendas docent.

44 XIII. Haec igitur prima lex amicitiae sanciatur, ut ab amicis honesta petamus; amicorum causa honesta faciamus; ne

---

§. 43. — om. *sibi* ante *concess.* h. E. v. R. I. P. B. — om. *vel* ante *bell.* b. Edd. ante Grut. — del. *sit* B. ∾ *sit hodie* Beda. — *sit hodie.* *Sit haec igitur pr. lex amicitiae, ut* Goer. susp. — §. 44. — *nec* pro *ne quid.* ab. Beda m. M. 3. B. — *neque* v. R. Ἀσύνδετον magis placet in hac legis veluti formula. — *vero* a. E. 3. Seqq. — *verum* b. Beda Edd. ante Graev. praeter Man.

§. 43. *non modo non — sed potius*) solet *non modo non* habere Consequens cum negatione, quod quidem h. l. secus esse apparet, ut Nat. Deor. III, 10. 26: *At illud non modo non arrogantis, sed potius prudentis, intelligere etc.* — *ut ne*) Gravius pro *ne* ponitur. Cfr. Zumpt. Gr. c. 67. §. 347. adnot. — *vel bellum*) *vel* est pro *etiam*, ut legg. III, 10. 23. *Iniqua in omni re accusanda, praetermissis bonis, malorum enumeratio vitiorumque selectio. Nam isto modo vel consulatus vituperatio est.* Ceterum huc in primis respicit, quod noster in principio libelli ad Atticum scribens dixit: *quam legens tu te ipsum cognosces;* si quidem verum refert. Nep. Att. 4. 2: *Cui quum persuadere temptaret, Noli, oro te, inquit Pomponius, adversum eos me velle ducere, cum quibus ne contra te arma ferrem, Italiam reliqui.* — *an aliquando*) Significat tempora Sullae et Marii, Caesaris et Pompeji.

§. 44. *haec igitur prima lex*) cum respectu ad caput proximum, in

exspectemus quidem, dum rogemur; studium semper adsit, cunctatio absit; consilium vero

dare gaudeamus libere.

Plurimum in amicitia amicorum bene suadentium valeat auctoritas, eaque et adhibeatur ad monendum non modo aperte, sed etiam acriter, si res postulabit; et adhibitae pareatur. Nam 45
quibusdam, quos audio sapientes habitos in Graecia, placuisse, opinor, mirabilia quaedam: — sed nihil est, quod illi non persequantur suis argutiis — partim fugiendas esse nimias amicitias, ne necesse sit unum sollicitum esse pro pluribus; satis superque esse suarum cuique rerum; alienis nimis implicari molestum esse: commodissimum esse, quam laxissimas habenas habere amicitiae, quas vel adducas, quum velis, vel remittas; caput enim esse ad beate vivendum securitatem, qua frui non

44. VERO DARE AUDEAMUS LIBERE. — 45. PLACUISSE OPINOR MIR. —

---

qui . *consilium libere dare gaudeamus* ∾ *vero* B. []. — §. 45. — *rerum curam* v. V. m. R. M. L.

quo hujus legis ratio posita est. *Primam* autem eam dixit, quod reliqua praecepta ex hujus legis fundamento ducuntur. — *dare audeamus*) Procul dubio retinenda lectio vulgata *gaudeamus*; atque miror, Gernhardum, qui poëticam verborum constructionem esse vidit, fefellisse has senarioli cujusdam reliquias: *dare gaudeamus libere*. Poëtam autem in his si agnoveris, nihil nimirum haerebis in voce *gaudeamus*, neque Adverbium *libere* mirere diremtum a verbo suo *dare!* Scribes igitur linea fracta, *studium semper adsit, cunctatio absit, consilium vero*

— — *dare gaudeamus libere.*

Plurimum in am. etc. Sic supra c. 6. §. 22 in Laelii oratione versiculos latuisse vidimus.

§. 45. *nam quibusdam*) Particula *nam* scriptores Latini saepe utuntur in transitionibus ad ea, quibus anteoccupando objectiones refellunt, quibus infringi possent vel corrigi ea, quae antea dixerunt. Cfr. Cic. in Verr. act. 2. l. 57: *Nam quid argumentamur, quo ista pecunia pervenerit? fecit ipse indicium;* et ad Fam. III, 11: *mirificamque cepi voluptatem ex hac tua diligentia, quod in summis tuis occupationibus mihi tamen reipublicae statum per te notum esse voluisti. Nam augurales libros ad commune utriusque nostrum otium serva;* et infra c. 27. §. 104. init; item Caes. Bell. Gall. VII, 66: *Si pedites suis auxilium ferant atque in eo morentur, iter confici non posse; si, id quod magis futurum confidat, relictis impedimentis, suae saluti consulant, et usu rerum necessariarum et dignitate spoliatum iri. Nam de equitibus hostium, quin nemo eorum progredi modo extra agmen audeat, ne ipsos quidem debere dubitare.* Cfr. supra c. 2. §. 7. Ceterum *quibusdam* nostro loco valet

46 possit animus, si tamquam parturiat unus pro pluribus. Alios autem dicere aiunt multo etiam inhumanius — quem locum breviter perstrinxi paullo ante — praesidii adiumentique causa, non benevolentiae neque caritatis amicitias esse expetendas. Itaque, ut quisque minimum firmitatis habeat minimumque virium, ita amicitias appetere maxime: ex eo fieri, ut mulierculae magis amicitiarum praesidia quaerant, quam viri, et inopes

---

§. 46. *habere*t h. E. r. L. P. ad contemnendum. — *mirabilia*) i. e. Paradoxa, ut ipse docet, Parad. prooem. 4: *Quae, quia sunt admirabilia contraque opinionem omnium, ab ipsis etiam* παράδοξα *appellantur*; et Acad. II, 44: *Sunt enim Socratica pleraque mirabilia Stoicorum, quae* παράδοξα *nominantur*; et Fin. IV. 27. — *placuisse*) non pendet a verbo *opinor*, sed subaudiendum *audio* vel *dicunt*. Cfr. Zumpt. Gr. c. 86. §. 777. Distinguendum igitur hunc in modum: *placuisse, opinor, mirabilia quaedam.* — *suis argutiis*) *suis* aucta vi Substantivo suo praecedit, hoc quidem loco ad contemnendos deridendosque adversarios. *Suis* enim *argutiis* dixit, quasi dicturus: „a quibus equidem longe sum alienus, vel, quibus nemo subscribet.“ Cfr. supra c. 9. §. 33. — *partim*) non semel h. l. positum est, sed alterum *partim* paulo post mutatur in *alios*. Cfr. de Div. I, 42. 93: *multa inusitata partim e caelo, alia ex terra oriebantur, quaedam etiam* et seqq. Ibid. II, 9. 23. et Nep. Pelop. c. 1. 4: *hac mente amicis suis summas potestates dederant, alteriusque factionis principes partim interfecerant, alios in exsilium ejecerant;* et Sall., cui nihil usitatius, quam divisio *pars* — *alii*, ut Cat. 2: *pars ingenium, alii corpus exercebant.* — *fug. nimias amicitias*) perstringit Cicero Euripidem Hippol. 253. seqq. ubi nutrix:

Χρῆν γὰρ μετρίας εἰς ἀλλήλους
φιλίας θνητοὺς ἀνακίρνασθαι,
καὶ μὴ πρὸς ἄκρον μυελὸν ψυχᾶς,
εὔλυτα δ' εἶναι στέργηθρα φρενῶν,
ἀπό τ' ὤσασθαι καὶ ξυντεῖναι·
Τὸ δ' ὑπὲρ δισσῶν μίαν ὠδίνειν
ψυχὰν χαλεπὸν βάρος, ὡς κἀγὼ
τῆσδ' ὑπεραλγῶ.

satis superque esse suarum rer.) Genitivus *suarum rerum* pendet ab Adverbio *satis*; *superque* διὰ μέσου positum puta, ut alibi *plus*, *minus*, *amplius*. — *habenas habere*) Allitteratio, de qua infra c. 23. §. 88. Ceterum ab equorum tractatione translata est locutio. — *securitatem*) genuina significatione; proficiscitur enim a Substantivo *cura* et Praepositivo *se*. — *tamquam part.*) *tamquam* vocibus improprie usurpatis addi solet. Ceterum *parturire* est h. l. *animo volvere*, ut Liv. XXI. 18: *Proinde omittite Sagunti atque Iberi mentionem facere, et, quod diu parturit animus vester, aliquando pariat.*

§. 46. *inhumanius*) i. e. *agrestius*, vel pecudum ritu. *Agrestem* etiam *humano* noster opposuit. Partit. 23. 90: *hoc primum intelligamus, hominum duo esse genera; alterum indoctum et agreste, quod anteferat semper utilitatem honestati; alterum humanum et politum, quod rebus*

quam opulenti, et calamitosi, quam ii, qui putantur beati. O 47
praeclaram sapientiam! Solem enim e mundo tollere videntur, qui amicitiam e vita tollunt: qua a diis immortalibus nihil melius habemus, nihil iucundius. Quae est enim ista securitas? specie quidem blanda, sed reapse multis locis repudianda. Neque enim est consentaneum ullam honestam rem actionemve, ne sollicitus sis, aut non suscipere aut susceptam deponere. Quod si curam fugimus, virtus fugienda est, quae necesse est cum aliqua cura res sibi contrarias aspernetur atque oderit; ut bonitas malitiam, temperantia libidinem, ignaviam fortitudo. Itaque videas rebus iniustis iustos maxime dolere, imbelles fortes, flagitiosis modestos. Ergo hoc proprium est animi bene constituti, et laetari bonis rebus et dolere contrariis.

---

§. 47. O. del. *est* cum Cld. Gernhardi B. — v. *sibi* ante *contr.* B. []. — v. *rebus* Billerb. []. prob. Mosero.

omnibus dignitatem anteponat. — *quem locum)* i. e. quod caput. — *firmitatis — virium) firmitas* in resistendo cernitur, ut in sustinendis hostibus, in perferendis laboribus rebusve adversis; *vires* in agendo rebusque gerendis. Cfr. Cic. X, 24: *In castris meis legiones sunt veteranae tres; tironum vel luculentissima ex omnibus una: in castris Bruti una veterana legio: altera bima: octo tironum. Ita universus exercitus, numero amplissimus est, firmitate exiguus. Quantum autem in acie tironi sit committendum, nimium saepe expertum habemus.* — *beati putantur)* non enim sunt beati. Cfr. Parad. I, 6: *Numquam mehercule ego neque pecunias istorum, neque tecta magnifica, neque opes, neque imperia, neque eas, quibus maxime adstricti sunt, voluptates, in bonis rebus aut expetendis esse duxi: quippe quum viderentur, rebus his circumfluentibus, ea tamen desiderare maxime, quibus abundarent. Neque enim expletur umquam nec satiatur cupiditatis sitis: neque solum, ea qui habent, libidine augendi cruciantur, sed etiam amittendi metu.*

§. 47. *o praeclaram sapientiam)* Ironice. Cfr. Zumpt. Gr. c. 71. §. 402. — *Solem enim)* Simili proverbio, quam vim res nec opinata habuerit, dicit ad Attic. IX, 10. *Sol, ut est in tua quadam epistola, excidisse mihi e mundo videtur.* — *blanda — repudianda)* Homoeoteleuton. Quae quidem ut Cicero amat in sermone familiari, sic fugit in oratione graviori. Cfr. Parad. II, 17: *quocumque adspexisti, ut furiae, sic tuae tibi, occurunt injuriae,* et ibid. Prooem. 3: *Sed nihil est tam incredibile, quod non dicendo fiat probabile;* item Tusc. V, 19: *Si digito quem attigisset, poenas dedisset;* et talia, ut infra c. 16. §. 58. *ratio acceptorum et datorum;* c. 21. 79. *omnia praeclara rara,* et paullo superius: *dissuendae magis quam discindendae:* Tusc. V, 27. *disputationibus armati et parati.* de Divin. II, 2. 4. *his praesertim moribus atque temporibus;* de Invent. I, 2. §.

48 Quamobrem, si cadit in sapientem animi dolor — qui profecto cadit, nisi ex eius animo exstirpatam humanitatem arbitramur — quae causa est, cur amicitiam funditus tollamus e vita, ne aliquas propter eam suscipiamus molestias? Quid enim interest, motu animi sublato, non dico inter hominem et pecudem, sed inter hominem et saxum aut truncum aut quidvis generis eiusdem? Neque enim sunt isti audiendi, qui virtutem duram et quasi ferream quandam esse volunt: quae quidem est quum multis in rebus, tum in amicitia tenera atque tractabilis, ut et bonis amici quasi diffundatur et incommodis contrahatur. Quamobrem angor iste, qui pro amico saepe capiundus est, non

48. CAPIENDUS —.

§. 48. — *ut* pro *cur* m. R. P. — Sic b. B. ∾ *et quasi ferream esse quandam* v. a. E. v. V. R. P. — Sic V. m. R. M. B. — *contrahuntur — diffundantur* ab o. E. r. cum plerisque Cdd. v. L. P. 3. 1. 2. G. Subjectum non est *virtus*, sed *amicus*. Orell.

3. *gravi ac suavi commotus oratione.* Sed cfr., quae infra dicemus ad c. 23. §. 88. — *reapse*) Verbum vetus et Laelio dignum, quo quidem et alibi noster utitur. — *aspernetur atque oderit*) Synonyma per gradationem. — *imbellibus fortes, flag. mod.*) per se non dici potest *res imbelles*; at per Zeugma; nisi ad *imbellibus* et *flagitiosis* subaudire malis *hominibus*, ut transitus sit, ut supra c. 9. §. 29 a re ad personam; qui quidem *transitus* h. l. *facilior est*, cum *res injustae* sint *actiones injustae*, atque per synesin *homines injusti*. Ceterum de moribus contrariis in eandem sententiam loquitur Horatius Ep. I, 18, 90:

Oderunt hilarem tristes, tristemque jocosi,
Sedatum celeres, agilem gnavumque remissi.

§. 48. *qui profecto*) i. e. is autem profecto. — *humanitatem*) vide supra c. 2. §. 8. — *ne aliquas*) Cfr. Zumpt. Gr. c. 84. §. 710. — *non dico sed*) ut *non modo* — *sed* in degradatione adhibetur. Cfr. Zumpt. Gr. c. 84. §. 725. — *saxum aut truncum*) „si vim spectas gradationis *truncum saxo* praeponi debuit. Decebat autem missa pecude, id vocare in comparationem, quod esset a sensu alienissimum. Ab hoc extremo, quod indignationi satisfecit, ad leniora communis sermo solet regredi." — *isti audiendi*) Stoici, qui nullam animi commotionem admittunt, virtutemque sibi fingunt plane ferream. — *quasi ferream quandam*) *quasi quandam* adjecit, ut audaciorem vocis usum excusaret. Cfr. Zumpt. Gr. c. 84. §. 707. — *volunt*) Cfr. supra c. 9. §. 29. Legendum igitur cum Gernhardo *esse volunt*. — *diffundatur — contrahatur*) Subjectum horum verborum petendum ex antecedentibus sc. *virtus*, reluctantibus quidem Gernhardo et Orellio, qui *amici* vel *amicus* Subjectum esse contendunt. At nunc

tantum valet, ut tollat e vita amicitiam; non plus, quam ut virtutes, quia nonnullas curas et molestias afferunt, repudientur.

Capita XIV. XV.

Quum autem amicitias propter utilitatem colere minime oporteat, accidere tamen, ut amicitiam utilitas consequatur; quod nisi fieret, studia amicorum non posse dicit vigere; id quod caput sit amicitiae. Qui vero omnibus copiis abundantes neque diligant, neque diligantur, hos vitam perhibet vivere miserrimam; omninoque in praepotentes insipientesque fortunatos invehitur, vitamque eorum arguit.

XIV. Quum autem contrahat amicitiam, ut supra dixi, si qua significatio virtutis eluceat, ad quam se similis animus applicet et adiungat; id quum contingit, amor exoriatur necesse est. Quid enim tam absurdum, quam delectari multis inanibus 49

---

non hoc quaeritur, amici quantum aut bonis aut incommodis amicorum commoveantur, sed quantum *virtus* i. e. *amicus virtute praeditus*; hinc etiam apparet, cur dixerit scriptor *quasi diffundatur*; nam *diffundi virtus* propria dici non potest. Ceterum *diffundi* est *laetificari* ducta significatione a fronte, quae laetitia *diffunditur*, tristitia *contrahitur*. — *non plus*) subaudi *valet, ut tollat e vita amicitiam*; ad *quam* autem supplendum *valet*. — *curas et molestias*) *cura* est, quae meliora exspectat, *molestia* sive *angor* oritur ex metu malorum.

§. 48. *contrahat virtus*) „Cum virtus contrahat amicitiam, significatio quaeque virtutis parere debet amorem, quod est amicitiae principium. Ita curis et molestiis amicitiae opponit hoc et seq. capite ejus jucunditatem, necessitatem et utilitatem cum fortunae donis comparatam. — *si qua significatio*) eleganter pro *significatio virtutis, quae el.*; est igitur *significatio virt.* totius sententiae Subjectum. Cfr. Zumpt. Gr. c. 84. §. 737.

§. 49. *inanibus rebus*) Cfr. Parad. I, 3. 13: *Veniant igitur isti irrisores hujus orationis, ac sententiae: et jam vel ipsi judicent, utrum se horum alicujus; qui marmoreis tectis, ebore et auro fulgentibus; qui signis, qui tabulis, qui caelato auro et argento, qui Corinthiis operibus abundant, an C. Fabricii, qui nihil eorum habuit, nihil habere voluit, similes esse malint?* — *ut ita dicam, redamare*) excusat verbis *ut ita dicam* praemissis novitatem

rebus, ut honore, ut gloria, ut aedificio, ut vestitu cultuque corporis; animo autem virtute praedito, eo, qui vel amare vel, ut ita dicam, redamare possit, non admodum delectari? Nihil est enim remuneratione benevolentiae, nihil vicissitudine studiorum

50 officiorumque iucundius. Quod si etiam illud addimus, quod recte addi potest, nihil esse, quod ad rem ullam tam alliciat et tam attrahat, quam ad amicitiam similitudo: concedetur profecto verum esse, ut bonos boni diligant adsciscantque sibi quasi propinquitate coniunctos atque natura. Nihil est enim appetentius similium sui, nihil rapacius, quam natura. Quamobrem hoc quidem, Fanni et Scaevola, constat, ut opinor, bonis inter bonos quasi necessariam benevolentiam esse, qui

50. AD SE REM —. BENEVOLENTIAM; QUI —

---

§. 50. — *illud etiam*] Et. prob. Goerenz. — *etiam*. c. — del. *etiam* post *bonit.* ~ *immanis* Clx. L. 1566. P. 1. Billerb. prob. Mosero. — om. *neque imm.* m. M. (*immanis* tamen h. l. nimium fere videtur. Altera lectio defendi potest in primis Plauti illo Trinum. 2, 2. 74: *civi immuni scis quid cantari solet?* ubi alii e gloss. *civi immunifico.*) —

---

verbi *redamare*, id est, *vicissim amare* vel benevolentiam remunerari. — *admodum delect.*) Particula *admodum* apud veteres scriptores quum caeteris Verbis additur *satis* vel *aliquantum* significat; Verbis autem *delectare*, *placere*, *diligere* juncta *nimis valde*, *supra modum*; ut Cic. Fam. V, 19. 2: *itaque me et superiores literae tuae admodum delectaverunt.* ad Fam. 4. 13. 18: *nam et complector ejus familiarissimos, qui me admodum diligunt, multumque mecum sunt, et in ipsius consuetudinem — insinuabo.* Adjectivis, et illis quidem qualitatem aut quantitatem denotantibus, quum adjungitur haec Partic. idem valet, ac Praepositivum *per*; in quo tamen illud notandum, eam post nomina positam vim habere majorem, ut Fin. V, 5. 12: *Quod maxime efficit Theophrasti de beata vita liber, in quo multum admodum fortunae datur.* Liv. X, 41. 14: *penetrare in interiora urbis, quia patentes admodum erant, non audent.* Cfr. supra c. 1. §. 2, c. 4. §. 16. fin.

§. 50. *nihil esse, quod ad — quam ad amicit. similitudo*) Miror, si nemo fuerit, qui offensus sit in hoc loco; sunt enim, hercle, quibus offendare. Iam primum vereor, ut recte dicatur, *res ad se rem allicit*, sed sit. Inepte autem opponuntur in hac comparatione *ad se allicit* in Anteced. et *ad amicitiam allicit* in Conseq.; nam verba *ad amicitiam allicit* consilium denotant suntque pro *ut fiat amicitia; ad se allicit* autem est *ad rem ipsam allicit.* Accedit, quod ad illa — *quam ad amicitiam similitudo* — transferendum est ex superioribus *rem (ullam) alliciat*; quod quid sibi velit, nemo dicet! Age,

est amicitiae fons a natura constitutus. Sed eadem bonitas etiam ad multitudinem pertinet. Non est enim inhumana virtus neque immunis neque superba, quae etiam populos universos tueri eisque optime consulere soleat; quod non faceret profecto, si a caritate vulgi abhorreret. Atque etiam mihi quidem 51

§. 51. In qua pl. est praesidii; praedii. B. — sciam E. Alii Cdd. L. P. —

ut dicam, quid ego sentiam, hoc, ut opinor, constat, in Ratiocinio versari h. l. scriptorem. Ratiocinatur enim ita: „In omnibus rebus nihil tam allicit, quam similitudo; atqui quam morum similitudo, nihil magis allicit: ergo bonos boni ad modum diligunt.“ In quo quidem Syllogismo, ut in sermone familiari, scriptor Majorem et Minorem confusius dedit; oportebat enim dixisse: „nihil est in ulla re, quod tam alliciat, quam similitudo, eaque (sc. morum similitudo) maxime ad amicitiam allicit.“ Quae quum ita se habeant, Reflexivum *se* ante *rem ullam* ejiciendum esse censeo. Sic enim bene *nihil* et *similitudo*, item *ad rem ullam* et *ad amicitiam* sibi respondent: In illis latet Major, in his Minor. Offensus autem in verbis *alliciat et attrahat* intransitive positis glossator istud *se* inseruit. cfr. infra. c. 17. §. 64. — *nihil est enim*) Sententia haec causalis non ad totam pertinet sententiam antecedentem, sed ad partem tantum posteriorem *adsciscantque sibi quasi etc.* Rationem enim reddit, cur amicos natura dixerit conjunctos. — *bonis inter bonos*) i. e. bonis inter se. — *qui est — fons*) si vis est in Praedicato gravior, idque mentem tenet scriptoris, ad hoc ipsum genere adcommodatur Relativum aut Demonstrativum. Cfr. pro Mur. 26. pr. *Venio nunc ad M. Catonem, quod est firmamentum ac robur totius accusationis;* et Nep. Them. 2. 7: *Themistocles persuasit, consilium esse Apollinis, ut in naves se suaque conferrent; eum enim a deo significari murum ligneum.* — *concedetur profecto verum esse, ut*) Cfr. supra c. 4. §. 14. — *eadem bonitas*) „late funditur ad multitudinem, et ad omnem generis humani conjunctionem.“ — *inhumana virtus, neque immunis, neque sup.*) *virtus inhumana*, quae res aliorum non curat, *immunis*, quae popularium munerum expers, sui duntaxat suorumque studiosa, *superba*, quae despicit et fastidit homines de plebe. Perstringit autem Stoicos homines. Cfr. pro Mur. 31: *Etenim isti ipsi mihi videntur vestri praeceptores et virtutis magistri fines officiorum paullo longius, quam natura vellet, protulisse; ut, cum ad ultimum animo contendissemus, ibi tamen, ubi oporteret, consisteremus. Nihil ignoveris; immo aliquid, non omnia. Nihil gratiae causa feceris, immo resistito gratiae, cum officium et fides postulabit. Misericordia commotus ne sis; etiam, in dissolvenda severitate: sed tamen est laus aliqua humanitatis.*

§. 51. *liberalissimi — beneficentissimi*) cfr. supra c. 9. §. 31. — *atque haud sciam an*) de hac urbanitatis formula cfr. supra c. 6. §. 20. *Atque* autem h. l. vim habet

videntur, qui utilitatis causa fingunt amicitias, amabilissimum nodum amicitiae tollere. Non enim tam utilitas parta per amicum, quam amici amor ipse delectat; tumque illud fit, quod ab amico est profectum, iucundum, si cum studio est profectum; tantumque abest, ut amicitiae propter indigentiam colantur, ut ii, qui opibus et copiis maximeque virtute praediti, in qua plurimum est praesidii, minime alterius indigeant, liberalissimi sint et beneficentissimi. Atque haud sciam, an ne opus sit quidem, nihil unquam omnino deesse amicis. Ubi enim studia nostra viguissent, si nunquam consilio, nunquam opera nostra nec domi nec militiae Scipio eguisset? Non igitur utilitatem amicitia, sed utilitas amicitiam consecuta est.

52 XV. Non ergo erunt homines deliciis diffluentes audiendi, si quando de amicitia, quam nec usu nec ratione habent cognitam, disputabunt. Nam quis est, pro deum fidem atque hominum! qui velit, ut neque diligat quemquam nec ipse ab ullo

51. HAUD SCIO —

---

§. 52. *nimirum: in qud* abc. v. V. m. R. M. L. P. & om. *nimirum* Beda.

amplificativam, positum pro *atque adeo*, ut Cat. c. 14. §. 50: *Quid de P. Licinii Crassi, et pontificii et civilis juris studio loquar? aut de hujus P. Scipionis, qui his paucis diebus pontifex maximus factus est? Atque eos omnes, quos memoravi, his studiis flagrantes senes vidimus;* et Caes. B. Civ. 2. 28: *hac habita oratione nullam in partem ab exercitu Curionis fit significatio, atque ita suas uterque copias reducit. Atque in castris Curionis magnus omnium incessit timor: nam is variis hominum sermonibus celeriter augetur.* Ceterum *haud sciam* ad veterum librorum fidem, codicis imprimis Erfurt., restitui, quia magis est verisimile formulam insolentiorem *haud sciam* in tritiorem *haud scio* esse mutatam, quam hanc in illam. Handio, qui ad Tursell. I, p. 320, non nisi in libris de Orat. *haud sciam* a nostro adhibitam esse vult, equidem non credam. Verecundior autem affirmandi formula huic loco optime convenit. — *opus sit*) i. e. utile, optabile sit; ut pro Cluent. 50. extr. *Hominem ingeniosum, M. Antonium, ajunt, solitum esse dicere, idcirco se nullum unquam orationem scripsisse, ut, siquid aliquando, quod non opus esset, ab se esset dictum, posset se negare dixisse;* et Div. I, 9: *legem curiatam opus esse, necesse non esse.*

C. XV. §. 52. *diffluentes*) i. e. *molles et depravati.* Videntur au-

diligatur, circumfluere omnibus copiis atque in omnium rerum abundantia vivere? Haec est enim tyrannorum vita, in qua nimirum nulla fides, nulla caritas, nulla stabilis benevolentiae potest esse fiducia; omnia semper suspensa atque sollicita, nullus locus amicitiae. Quis enim aut eum diliget, quem metuat; 53

52. SUSPECTA —

§. 53. — Sic a. E. v. V. B. ∾ *metuit* — — *putet* c. R. L, P. ∾ *metuat* — — *putat* m. M. 3. 1. 2. G. — *metuat* — — *putat* Beda.

tem haec dicta in Epicureos. — *si quando*) eleganter pro *quando*. Cfr. Zumpt. Gr. c. 84. §. 73. et supra c. 14. §. 48. — *pro deûm fidem atque hom.*) solennes hujus interjectionis formulae sunt: *pro deûm atque hominum fidem*, sive *pro deûm hominumque fidem*, sive etiam *pro deûm atque hominum*. — *ut neque dilig.*) *ut* h. l. idem est, quod *hac conditione, ut*. Cfr. Fin. V, 11: *Maxime autem in hoc quidem genere vis est perspicua naturae, quam et mendicitatem multi perpetiantur, ut vivant*: etc. — *haec est enim*) Partic. *enim* spectat ad sententiam praecedentem. Solet enim Cic. Verbum Substantivum unius syllabae non tertio loco ponere post particulas *enim, autem*, quum eae ad totam periodum pertinent, ut §. 50: *nihil est enim* 50 et 49. 28. — *in qua nimirum*) *nimirum* h. l. valet idem, quod *sane, sine dubio*, ut Verr. II, 63: *Is est nimirum soter, qui salutem dedit*. et Tusc. II, 23. *Et hic nimirum est fletus, quem duodecim tabulae in funeribus adhiberi vetuerunt*. Cfr. supra c. 7. §. 23: — *nulla fides* — *fiducia*) *nulla fides*, quia tyranni mores nemini fidem faciunt; *nulla fiducia*, quia nemo moribus tyranni fidem habet ideoque ejus benevolentiam, si qua in eo appareat, benevolentia non remunerantur. — *suspecta atque sollicita*) vox *suspecta* mihi valde est suspecta. Quid enim attinebat iterum „Omnia sunt suspecta", cum jam antea dixisset „Nulla fides, nulla fiducia est in vita tyrannorum." Deinde junguntur male *suspecta atque sollicita*; nam qui *suspectus* est, non est *sollicitus*; vicissim autem, qui est *sollicitus*, non potest esse *suspectus*. Accedit, quod ipsa vox *sollicita* involvit notionem *suspicio*; *suspicio* enim facit, ut sis *sollicitus*. Cfr. Rull. I, 8: *civitas sollicita suspicione, suspensa metu, perturbata seditionibus*. Rescribe igitur, si me audis, *suspensa* pro *suspecta*. Nam voces *suspensa* et *sollicita* noster constanter jungere solet, ut pro domo 36: *Cum omnium perditorum et conjuratorum incitata vis, duce tribuno plebis, consulibus auctoribus, afflicto senatu, perterritis equitibus Romanis, suspensa ac sollicita tota civitate, non tam in me impetum faceret, quam per me in omnes bonos*; etc. item ad Att. II, 18: *Accepi aliquot epistolas tuas: quibus intellexi, quam suspenso animo, et sollicito scire averes, quid esset novi*. Cfr. etiam Rull. I, 1. *Suspensi* enim atque *solliciti* dicuntur, qui inter spem et metum distrahuntur; quod quidem optime quadrat in tyrannos.

§. 53. *quem metuit*) P. Syrus: *Amor misceri cum timore non potest.* — Columtur tamen simulat. etc.)

aut eum, a quo se metui putet? — Coluntur tamen? — Simulatione dumtaxat ad tempus. Quod si forte, ut fit plerumque, ceciderint, tum intelligitur, quam fuerint inopes amicorum. Quod Tarquinium dixisse ferunt, tum exsulantem se intellexisse, quos fidos amicos habuisset, quos infidos, quum iam neutris
54 gratiam referre posset. Quamquam miror, illa superbia et importunitate si quemquam habere potuit. Atque, ut huius, quem dixi, mores veros amicos parare non potuerunt, sic multorum opes praepotentium excludunt amicitias fideles. Non enim solum ipsa Fortuna caeca est, sed eos etiam plerumque efficit

53. COLUNTUR TAMEN SIMUL. — (EXSULANTEM)

— sim. *amicitiae* b. V. m, R. M. L. — *exsulantem* gloss. videbatur Hottingero Cic. Ecl. p. 175. et Bardilio del. B. Ego []. — del. *tum* 1. 2. — *tum, quum exsul esset,* se v. V. m. R. M. — §. 54. — v. *fieri pot.* B. [].

Nescio an opus sit sic distinguere: — Coluntur tamen? — ut haec sint objectio ficti oblocutoris; ad quae Laelius respondeat: *Simulatione dumtaxat.* Cfr. Cat. 19. 68. — *At sperat adolescens, diu se victurum: quod sperare idem senex non potest!* — *Insipienter sperat. Quid enim stultius, quam incerta pro certis habere, falsa pro veris?* — *Senex ne quod speret quidem, habet!* — *At est eo meliore conditione, quam adolescens: cum id, quod ille sperat, hic jam consecutus est.* — *ad tempus)* dum, qui eos colunt, tempori inserviunt. Seneca epist. 9: *Hae sunt amicitiae, quas temporarias populus appellat.* — *ceciderint)* Proprie *cadere* dicuntur tyranni de excelso loco dejecti. — *quum fuerint inopes)* inter voces *quam* et *inopes* interjectum est Verbum Substantivum ad acuendam voculam *quam.* — *tum exsulantem)* *tum* h. l. abundare videtur. Est autem anacoluthon constructionis; *tum* scripsit, quasi dicturus esset, *quum exsularet.* cfr. Liv. XXI 32: *Ad mare ac naves rediit, tutius faciliusque ita descendenti ab Alpibus Hannibali occursurus.* Virg. Aen. X, 533.

Belli commercia Turnus
Sustulit ista prior jam tum Pallante peremto.

Acad. II, 17. 42: *Omnia tum perditorum civium scelere discessu meo religionum jura polluta sunt.* — *gratiam referre)* referre gratiam h. l. dictum esse in utramque partem, ut valeat etiam *ulcisci injuriam,* vult Beierus. Cfr. pro Sull. 16. extr. *nunc tecum sic agam, tulisse ut potius injuriam, quam retulisse gratiam videar.*

§. 54. *illa superbia et importunitate si esset)* i. e. si homo *illa,* id est, tam insigni *superbia et importunitate* etc. Est igitur *illa sup. et imp.* non Ablat. absol., sed qualitatis. — *si quemquam)* pro *si quem.* Cfr. Zumpt, Gr. c. 84. §. 710; et supra c. 2. §. 9. — *atque ut)* Par-

caecos, quos complexa est. Itaque efferuntur fere fastidio et contumelia: neque quidquam insipiente fortunato intolerabilius fieri potest. Atque hoc quidem videre licet, eos, qui antea commodis fuerunt moribus, imperio, potestate, prosperis rebus immutari, sperni ab iis veteres amicitias, indulgeri novis. Quid autem stultius, quam, quum plurimum copiis, facultatibus,

54. CONTUMACIA —

---

ticula *atque* h. l. vim habet aequiparativam. — *Fortuna caeca*) Cfr. Pacuv. ad Herenn. II, 23:

Fortunam insanam esse et caecam et brutam perhibent philosophi,
Saxoque illam instare globoso praedicant volubilem:
Ideo quo saxum impulerit fors, cadere eo fortunam autumant.
Caecam ob eam rem esse iterant, quia nihil cernat, quo sese applicet.

fastidio et contumacia) Valde mihi arridet lectio Ed. vet. *contumelia*, quam pro *contumacia* adnotavit nuper Beierus. Primum enim *contumacia* de eo usurpatur, qui superioribus potentioribusque vel non cedit, vel adversus eos insolenter se gerit, ut ad Herenn. IV, 40: *in superiores contumax, in aequos et pares fastidiosus, in inferiores crudelis, denique in omnes intolerabilis.* Cfr. item Tusc. I, 23: *Socrates adhibuit liberam contumaciam a magnitudine animi ductam, non a superbia.* Quam vocis *contum.* significationem si tenueris, jam intelliges, male jungi h. l. *fastidium et contumacia;* nam *fastidiosi* sunt in pares et aequos; *contumaces* autem, ut monstravi, in superiores; quod insuper alienum ab hoc loco. Amicissime autem concordant voces *fastidium et contumelia.* *Fastidio* enim qui effertur, alios se non dignos putat, atque quasi profanum vulgus odit et arcet; qui *contumelia*, ceteros indigne tractat. Est igitur sensus loci sic emendati: „isti sibi quidem nimium quiddam assumunt, aliis autem justa ac digna non tribuunt, adeoque eorum dignitati aliquid detrahunt. De qua vocis *contumelia* significatione cfr. ad Brut. I, 16: *neque usquam exsul esse possum, dum servire et pati contumelias pejus odero malis omnibus aliis;* et Caes. Bell. Civ. I, 28: *Brundusini Pompejanorum militum injuriis atque ipsius Pompeji contumeliis permoti Caesaris rebus favebant.* — *fieri potest*) *fieri* h. l. insolentius sed cum vi adhibitum est pro solita illa structura: *neque fieri potest, ut quidquam* etc. — *Atque hoc quidem*) *Atque* saepe numero ponitur in argumentis afferendis, et in rebus, universam sententiam illustrantibus; qui usus hujus particulae hoc quidem loco valet. Similem locum habemus infra c. 19. §. 68. *Hoc quidem*, id est, *hoc ipsum*, nostro loco abundat; dirigit autem attentionem ad sequentia; cfr. supra c. 5. §. 17: *sed hoc primum sentio* etc.; et c. 7. §. 27: *facile id quidem* etc. — *fuerunt morib.*) Cfr. Zumpt. Gr. c. 78. §. 550. — *spernique*) Nam veteres amicos non putant amplius pares sibi.

§. 55. *copiis, facultatibus, opibus*) Synonyma sunt divitias significantia. Vox *copiae* autem magnitudinem, *facultates* usum, *opes* possessionem divitiarum denotat.

opibus possint, cetera parare, quae parantur pecunia, equos, famulos, vestem egregiam, vasa pretiosa; amicos non parare, optimam et pulcherrimam vitae, ut ita dicam, suppellectilem? Etenim cetera quum parant, cui parent, nesciunt, nec cuius causa laborent; eius est enim istorum quidque, qui vincit viribus: amicitiarum sua cuique permanet stabilis et certa possessio, ut, etiam si illa maneant, quae sunt quasi dona Fortunae, tamen vita inculta et deserta ab amicis non possit esse iucunda. Sed haec hactenus.

Capitt. XVI. XVII. XVIII.

Tres illas de constituendis finibus terminisque amicitiae sententias Laelius refellit, veraeque amicitiae hunc ait esse finem, ut inter

---

Cfr. pro Quint. 1: *verum ita se res habet, ut ego, qui neque usu satis, et ingenio parum possum, cum patrono disertissimo comparer: P. Quintius, cui tenues o p e s, nullae f a c u l t a t e s, exiguae amicorum c o p i a e sunt, cum adversario gratiosissimo contendat;* et pro leg. Man. 7: *Nam et publicani, homines et honestissimi et ornatissimi, suas rationes et c o p i a s in illam provinciam contulerunt.* Off. I, 14: *cavendum est, ne benignitas major sit quam f a c u l t a t e s.* Horat. III, 16. 28.:

Contemtae dominus splendidior rei,
Quam si, quidquid arat impiger Appulus,
Occultare meis dicerer horreis,
Magnas inter o p e s i n o p s.

vasa pretiosa) Corinthia opera. cfr. pro Rosc. Am. 46: *domus referta v a s i s C o r i n t h i i s et Deliacis, in quibus est a u t h e p s a illa, quam tanto pretio nuper mercatus est, ut, qui praetereuntes pretium enumerari audiebant, fundum venire arbitrarentur.* — *vitae, ut ita dicam, supell.*) Nonnisi comparationis causa, ut ipsa excusatio addita indicat, amicos dixit *optimam et pulcherrimam supell.* sicut Xenophon. Memor. Socr. II, 4. 1: ὡς πάντων κτημάτων κράτιστον ἂν εἴη φίλος σαφὴς καὶ ἀγαθὸς. — *qui vincit viribus*) Alliteratio, de qua infra c. 23. §. 88. De re cfr. Horat. Sat. II, 2. 127:

Nam propriae telluris herum Natura neque illum,
Nec me, nec quemquam statuit. Nos expulit ille;
Illum aut nequities, aut vafri inscitia juris,
Postremo expellet certe vivacior heres.
Nunc ager Umbreni sub nomine, nuper Ofelli
Dictus erat, nulli proprius; sed cedit in usum
Nunc mihi, nunc alii.

stabilis et certa) *stabilis* dicitur amicitia, cujus, sc. vera, natura ea sit, ut mutari nequeat; *certa*, quia in fide amicorum acquiescimus. — *vita inculta et deserta*) *inculta* vita,

amiços summa sit omnium rerum ac consiliorum communitas; atque etiam minus justae amicorum in eorum periculis voluntates adjuventur. Deinde non nisi, quorum mores ac fidem diu periclitando expertam habeamus, in amicitiae conditionem recipiendos esse censet. Fidem enim firmamentum esse amicitiae; in qua continetur animi simplicitas, voluntatum consensus, convenientia affectuum omnium ac sententiarum. Has ad virtutes accedat oportere quaedam morum suavitas, absit tristitia et in omni re severitas.

XVI. Constituendi sunt autem, qui sint in amicitia fines 56
et quasi termini diligendi. De quibus tres video sententias ferri, quarum nullam probo: unam, ut eodem modo erga amicos affecti simus, quo erga nosmet ipsos; alteram, ut nostra in amicos benevolentia illorum erga nos benevolentiae pariter aequaliterque respondeat; tertiam, ut, quanti quisque se ipse

---

§. 56. — *deligendi* Erasmus. m. Billerb. Improbant etiam Rog. et Mos. — *amicos* b. L. P. G. B. ∾ *amicum* ac. E. v. V. m. R. M. 3. 1. 2.

quae caret jucunditate amicitiae, *deserta*, quae nudata est praesidio amicorum.

§. 56. *constituendi sunt autem, qui*) Attractio more Graecorum, ita tamen, ut Objectum Verbi *constituere* relicta sit in sententia relativa. Latina est constructio: *constituendum autem, qui sint* etc. Cfr. de Divin II, 12. 28: *quomodo est collata inter ipsos, quae pars inimici, quae pars familiaris esset?*. et Off. III, 29: *Non fuit Jupiter metuendus, ne iratus noceret: qui neque irasci solet, neque nocere.* Exemplum hujus constructionis cum Verbo act. habes apud Caes. B. G. I, 39: *rem frumentariam, ut satis commode supportari posset, (se) timere dicebant.* Deinde Particula *autem* nostro loco vim habet continuativam, ut saepe, quum ad aliamrem vel novamque sententiam transitur, praesertim antecedente hac formula: *Sed haec hactenus.* Cfr. Cat. 21. 78; et 22. 79: *Haec Platonis fere. Apud Xenophontem autem moriens Cyrus major haec dicit* etc. Sic. Off. I, 26.: *Sed haec quidem hactenus.— Illud autem sic est judicandum, maximas geri res, et maximi animi ab iis, qui respublicas regant.* — *quasi termini*) Excusat metaphoram, quae fuit Latinae linguae Ciceronis aevo verecundia. — *sententias ferre*) de usu forensi vel in senatu. — *video*) de re ex scriptorum testimoniis cognita, pro reperio. Cfr. Fin. I, 20: *Tribus igitur modis video esse a nostris de amicitia disputatum;* et Off. I, 26: *Philippum quidem Macedonum regem, rebus gestis, et gloria superatum a filio; facilitate et humanitate video superiorem fuisse.* — *pariter aequaliterque*) *pariter* respondet aemulatione, *aequaliter* modo; cfr. supra c. 9. §. 32. — *vera*

57 facit, tanti fiat ab amicis. Harum trium sententiarum nulli prorsus assentior. Nec enim illa prima vera est, ut, quemadmodum in se quisque, sic in amicum sit animatus. Quam multa enim, quae nostra causa nunquam faceremus, facimus causa amicorum? precari ab indigno, supplicare, tum acerbius in aliquem invehi insectarique vehementius; quae in nostris rebus non satis honeste, in amicorum fiunt honestissime: multaeque res sunt, in quibus de suis commodis viri boni multa detrahunt detrahique patiuntur, ut iis amici potius quam
58 ipsi fruantur. Altera sententia est, quae definit amicitiam paribus officiis ac voluntatibus. Hoc quidem est nimis exigue et exiliter ad calculos vocare amicitiam, ut par sit ratio acceptorum et datorum. Divitior mihi et affluentior videtur esse vera amicitia nec observare restricte, ne plus reddat, quam acceperit. Neque enim verendum est, ne quid excidat, aut

---

§. 57. — *nostri* ab. E. Beda. B. *multaeque* abc. E. v. R. 3. Seqq. — *multae quoque* V. m. M. L. P. (= *sunt res* Beda.) — §. 58. — *Divit.* E. L. P. prob. Goer. = *ditior* Ceteri. — v. *mihi* B. [].

est, ut) Conjunctio *ut* non pendet a voce *vera*, sed a vocabulo *sententia* subaudiendo.

§. 57. *precari, supplicare*) gradatio, ut Parad. V, 3: *munera mittere, noctu venire domum ad eum, precari, denique supplicare.* — *invehi — insectari*) *invehimur* in aliquem verbis; insectamur re. — *in amicorum*) per Ellipsin passim obviam, ut Tusc. I, 24. 56: *tam natura putarem hominis vitam sustentari, quam vitis, quam arboris*; Fin. I, 16. 51. pr. III, 25. *non tam rerum inventor fuit, quam verborum novorum.* — *exigue et exiliter*) quod *exiguum* est, dicitur *exile*, si ad rem majorem, quam par est, accommodatur. Est igitur *exigue et exiliter*, avare et indigne ad calculos vocare. — *ratio*) sc. tabularum tamquam, inter creditorem et debitorem. Habebant enim Romani librum, in quo acceptorum et expensorum rationes conficiebant; qui *codex accepti* et *expensi* dicebatur. — *observ. restricte*) i. e. *parce*. „Vocab. tralatum videtur ab usu hostorii vel radii, h. e. ligni, quo modius aequatur mensuraeque raduntur.“ — *excidat aut — defluat*) Optime interpretatur Grz. „Non enim in metiendis amicitiae officiis ac beneficiis par ratio est cum mensuris aridorum fluidorumque, e quibus supra modum congesta excidunt atque defluunt.“ Duplicem autem hanc mensurae similitudinem concinnitatis causa adhibuit scriptor, ut paria paribus in antithesi responderent: *excidat* aut *defluat, divitior* et *affluentior*. — *plus aequo*) i. e. plus, quam quod modum aequet, vel recipiat modus.

ne quid in terram defluat, aut ne plus aequo in amicitiam congeratur. Tertius vero ille finis deterrimus, ut, quanti quis- 59
que se ipse faciat, tanti fiat ab amicis. Saepe enim in quibusdam aut animus abiectior est, aut spes amplificandae fortunae fractior. Non est igitur amici, talem esse in eum, qualis ille in se est; sed potius eniti et efficere, ut amici iacentem animum excitet inducatque in spem cogitationemque meliorem. Alius igitur

---

§. 59. — *teterrimus* L. in m. 1584. — *esset hab.* a. — *hab. est* b. — v. *esset* B. []. — v. *sibi* B. []. ∾ del. v. *necesse erit* cum C1x. G. B. prob. Mosero. (*necesse erit eos* b.) —

§. 59. *finis teterrimus)* qui minimum tribuit amicitiae. — *qualis ille in se)* h. e. *in se ipsum*; solet enim post *se* nonnumquam omitti vocula *ipse*. — *spem cogitationemque mel.)* *spe* futura exspectamus, *cogitatione* nobis imaginamur futura. — *edixero)* i. e. enuntiavero, patefecero. — *ut si aliquando)* Requiro Subjectum. Quare quum alii libri praebeant *ut aliquando*, vide ne rescribendum sit: *ut, qui aliquando esset osurus*; sic insuper pressius secutus fueris graecum scriptorem; δεῖ φιλεῖν, ὡς μισήσοντας. Ceterum recte Beier.: „Sed calumniatus Laelius est sapientissimi viri sententiam, qui de vulgaribus tantum familiaritatibus locutus est, ut apparet ex reddita ap. Diog. Laërt. I, 87 ratione: τοὺς γὰρ πλείστους κακούς. — *impuri cujusdam)* Conjunctio *sed* omitti solet, quum opposita in antithesibus principem locum occupant, ut hic *a Biante* et *impuri*. Ceterum *impurus* h. l., ut passim, is dicitur, qui amore Venereo amat, ut Pausanias Argilium illum. — *ambitiosi)* *ambitiosus* dicitur, qui blandiendo hominum benevolentiam captat. Cfr. Att. I, 15: *Illae ambitiosae nostrae fucosaeque amicitiae sunt in quodam splendore forensi.* — *nec vero se adduci)* Non repetendum huc Verbum *negabat*, sed per Synesin *affirmabat*, ut Nep. Cim. I, 4: *Elpinice negavit, se passuram, Miltiadis progeniem in vinculis publicis interire, quoniam prohibere posset, seque Calliae nupturam, si ea, quae polliceretur, praestitisset*; et N. D. I, 25: *negat esse corpus deorum, sed tamquam corpus, nec sanguinem, sed tamquam sanguinem.* — *cupere et optare)* *cupere* de vehementi aliqua cupiditate animi in rem aliquam intenta dicitur; *optare* autem est unam rem ex duabus vel pluribus optatione eligere. Nostro igitur loco *cupere* et *optare*, *ut peccet amicus*, est cupere, ut peccet am. et id. solum optare, neque alterum illud, ut non peccet; quod quidem ad sequentia spectat *rursum autem recte facta* etc. De significatione verbi *optare* cfr. Off. III, 25: *Theseus, cui quum tres optationes Neptunus dedisset, optavit interitum Hippolyti filii sui.* Item *cupere* et *optare* noster junxit Phil. XIV, 1, ubi de eligendo vestitu sc. de sago et toga, sermo est: *Nos vero cum semel ad eum, quem cupimus optamusque, vestitum redierimus, id agamus, ut eum in perpetuum retineamus.* Quod ad sensum hujus loci, tenendum est, Scipionem illud δεῖ φιλεῖν ὡς μισήσοντας ita interpretatum esse, quasi dixisset Bias, nullas omnino

finis verae amicitiae constituendus est, si prius, quid maxime reprehendere Scipio solitus sit, edixero. Negabat ullam vocem inimiciorem amicitiae potuisse reperiri, quam eius, qui dixisset, ita amare oportere, ut si aliquando esset osurus: nec vero se adduci posse, ut hoc, quemadmodum putaretur, a Biante esse dictum crederet, qui sapiens habitus esset unus e septem: impuri cuiusdam aut ambitiosi aut omnia ad suam potentiam revocantis esse sententiam. Quonam enim modo quisquam amicus esse poterit, cui se putabit inimicum esse posse? Quin etiam necesse erit cupere et optare, ut quam saepissime peccet amicus, quo plures det sibi tamquam ansas ad reprehendendum: rursum autem recte factis commodisque amicorum [necesse
60 erit] angi, dolere, invidere. Quare hoc quidem praeceptum, cuiuscunque est, ad tollendam amicitiam valet. Illud potius praecipiendum fuit, ut eam diligentiam adhiberemus in amicitiis comparandis, ut ne quando amare inciperemus eum, quem aliquando odisse possemus. Quin etiam si minus felices in deligendo fuissemus, ferendum id Scipio potius quam inimicitiarum tempus cogitandum putabat.

61 XVII. His igitur finibus utendum arbitror, ut, quum emendati mores amicorum sint, tum sit inter eos omnium rerum,

---

§. 60. — del. *potius* cum a. B. — *in dilig.* ab E. P.

hominum amicitias usque ad extremum vitae permanere. Quod si dixisset, sane optandum erat, ut quam saepissime peccaret amicus, ut amicitia diremta tanto magis eum posses reprehendere. — *tamquam ansas ad repreh.*) voculam *tamquam* adjecit h. l. scriptor, ut magis attenderetur ad propriam vim tralatorum verborum *ansas* et *reprehendere*; dissertius etiam rei similitudo exprimitur juncto hoc vocabulo cum verbo cognato. — *rursum autem*) i. e. contra. Cfr. Graecorum δ' αὖ.

§. 60. *cujuscunque est*) Cfr. Zumpt. Gr. c. 77. §. 521. — *ad tollendam*) vox *ad tollendam* locum primarium sortita acuitur, subintelligendumque *non ad servandam*. — *praecipiendum fuit*) Cfr. Zumpt. Gr. c. 77. §. 518 fin. — *diligentiam*) i. e. *attentio*, *ἀκρίβεια*. — *ut ne quando — possemus*) Animadvertenda h. l. orationis concinnitas; singulis enim singula respondent, *inciperemus*, *possemus*; *amare*, *odisse*; *quando*, *aliquando*. — *tempus cogit.*) i. e. quam cogitandum, tempus esse suscipiendi inimicitias.

§. 61. *emendati mores*) Manu-

consiliorum, voluntatum sine ulla exceptione communitas: ut etiam, si qua fortuna acciderit, ut minus iustae amicorum voluntates adiuvandae sint, in quibus eorum aut caput agatur aut fama, declinandum sit de via; modo ne famae turpitudo sequatur. Est enim, quatenus amicitiae dari venia possit: nec vero negligenda est fama; nec mediocre telum ad res gerendas existimare oportet benevolentiam civium: quam blanditiis et assentando colligere turpe est; virtus, quam sequitur cari-

61. SUMMA —

---

tius ab iis vitiis aliquos mores intelligit, quae amicitiae adversantur, ut perfidia, levitas, avaritia, ambitio et similes pravi affectus: quos qui exstirpare non possunt, moderari saltem et velare studeant. — *consiliorum — voluntatum*) *consilia* sunt deliberantium, *voluntates* probantium. Similiter Hor. Ep. I, 10. 4:

Fraternis animis, quicquid negat alter, et alter;
Annuimus pariter vetuli notique columbi.

aut caput agatur) *caput* tum de vita, tum de jure civitatis fortunisque ejus, qui reus factus est, dicitur. Cfr. Cic. pro Quint. 2: *Nam quid hoc iniquius aut indignius, C. Aquilli, dici, aut commemorari potest, quam me, qui caput alterius, famam, fortunasque defendam, priore loco causam dicere*: et Nep. Phoc. 3, 2: *Quo facto populus superior factus, statim duces, adversariae factionis capitis damnatos, patria pepulit*; item Off. II, 14: *Duri enim hominis, vel potius vix hominis videtur, periculum capitis inferre multis.* — *declinandum sit de via*) „Sic Cicero declinavit de via, cum Milonem amicum suum defendit, quem sciebat ea voluntate fuisse, ut Clodium occideret, si se Lanuvium ad prodendum flaminem itu- ro in via offerret: eum tamen probavit insidias non fecisse. — *modo ne summa turpitudo sequatur*) Locus corruptus; infamiam enim fugiendam non esse, ut dixerit Cicero! Cfr. Offic. II, 14: *Nec tamen, ut hoc* (sc. infamia) *fugiendum est, ita habendum est religioni, nocentem aliquando, modo ne nefarium, impiumque defendere. Vult hoc multitudo, patitur consuetudo, fert etiam humanitas.* Locum emendaveris, si pro *summa* legeris *famae*; nam et sequentia suadent, ut notio *famae* huic loco vindicetur, et haec causa corruptelae addi potest, quod nescio cujus elegantiam offenderit vox *famâ* eodem versu bis posita. Sed haec ipsa vocabuli *fama* iteratio admodum venusta mihi videtur; hoc enim inculcatum lectori vult Tullius: cavendum ne, dum alterius famam defendas, perdas tuam. Accedit, quod vocem *turpitudo* de *turpitudine publica* sive *infamia* per se adhibitam vix invenias; *fama* autem constanter de oratoris vel viri civilis existimatione usu venit Cfr. Pet. cons. 5: *fere omnis sermo ad forensem famam a domesticis emanat auctoribus.* Brut. 74: *Catulo suavitas vocis bene loquendi famam confecerat;* item Verr. Act. I, 16: *vos aliquot jam per annos conceptam huic ordini turpitudinem atque infamiam delere ac tollere potestis.* Ceterum h. l. *modo ne* vim habet limitandi, ut alibi *tantum ne.* — *est enim, quatenus am.*) his et sequentibus *nec vero neglig. etc.* exponit Lae-

62 tas, minime repudianda est. Sed saepe — etenim redeo ad Scipionem, cuius omnis sermo erat de amicitia — querebatur, quod omnibus in rebus homines diligentiores essent: capras et oves quot quisque haberet, dicere posse; amicos quot haberet, non posse dicere: et in illis quidem parandis adhibere curam, in amicis eligendis negligentes esse nec habere quasi signa quaedam et notas, quibus eos, qui ad amicitiam essent idonei, iudicarent. Sunt igitur firmi et stabiles et constantes eligendi; cuius generis est magna penuria: et iudicare difficile est sane nisi expertum; experiendum est autem in ipsa amicitia: ita praecurrit amicitia iudicium tollitque experiendi
63 potestatem. Est igitur prudentis sustinere, ut currum, sic impetum benevolentiae; quo utamur, quasi equis tentatis, sic

---

§. 62. Sic. b. M. Lang. L. P. B. — *capras* — — *posset* — — *non posset* ac. E. v. m. — *ut capras* — — *posset* — — *non posset* V. 3. 1. 2. G. — §. 63. — *currum* a. E. v. m. P. 1. Seqq. — *cursum* c. v. R. M. L. 3. — *cursum navis* b. — Sic. ac. m. 3. Seqq. — *equis temperatis* E. R. P. — *aquis tentatis* V. L. — *amicitia* ac. E. ∾ del. *amicitiis* L. Facc. B. []. — Sic. Grut. Seqq. ∾ *quidam autem* Cdd. Orell. et Edd. ante Grut.

lius, quae in antecedentibus praecepit. Declinare autem de via nonnunquam periculosum non esse propterea, quod homines id aliquatenus condonent amicitiae, si amicus in causa etiam minus justa adsit amico. Cfr. Off. I. l.: *Vult hoc multitudo, patitur consuetudo, fert etiam humanitas.* Ceterum *est, quatenus* periphrasis est per Graecismum pro *aliquatenus*, ut ad Herenn. IV, 26: *Est, cum non est satius, si commutatio verbi id erit demonstratura, ejusmodi rem esse,* etc. cfr. Zumpt. Gr. c. 85. §. 752. — *telum ad res ger.*) nam, qui bene audiunt, plurimum possunt apud cives, infames autem et improbi civium benevolentiam ad res gerendas malis artibus quaerunt. — *virtus*) i. e. facultas virtute parta. — *quam seq.*) i. e. virtus ad assequendam caritatem civium.

§. 62. *sed*) post digressionem pro *igitur*, *inquam*. — *eligendis negligentes*). Alliteratio ad Oxymorum. — *signa — et notas*) *signa* sunt, quae rem tantum significant, *notae*, quae monstrant: ex *signis* aliquid concludimus, ex *notis* agnoscimus. — *firmi et stabiles et constantes*) *firmi* sunt amici, qui res adversas una cum amicis perferunt, *stabiles*, quorum mores et voluntas nullo tempore mutantur; tales autem *constantes* sunt, id est, iidem semper. — *cujus generis*) i. e. quorum; cfr. Zumpt. Synt. orn. c. 84. §. 678. — *nisi expertum*) *expertum* non est Passive accipiendum, sed pertinet ad Subjectum Verbi *judicare*, id est, *aliquem*, quod est omissum. Cfr. Zumpt. Gr. c. 80. §. 608 fin.

§. 63. *currum*) equos currui junctos. — *quo*) i. e. eo consilio;

amicitiis, aliqua parte periclitatis moribus amicorum. Quidam saepe in parva pecunia perspiciuntur, quam sint leves; quidam, quos parva movere non potuit, cognoscuntur in magna. Sin erunt aliqui reperti, qui pecuniam praeferre amicitiae sordidum existiment: ubi eos inveniemus, qui honores, magistratus, imperia, potestates, opes amicitiae non anteponant, ut, quum ex altera parte proposita haec sint, ex altera ius amicitiae, non multo illa malint? Imbecilla enim natura est ad contemnendam potentiam: quam etiam si neglecta amicitiâ consecuti sint, obscuratum iri arbitrantur, quia non sine magna causa sit

63. CONSEC. SUNT —

---

ut. — *quasi* — *sic*) Notandus est usus Particulae *quasi* pro *quemadmodum*, cum raro ea plenam enunciationem adjunctam habeat. Cfr. Cat. 19. 71: *et quasi poma ex arboribus, si cruda sunt, vix avelluntur, si matura et cocta, decidunt: sic vitam adolescentibus vis aufert, senibus maturitas.* — *equis tentatis*) Cfr. Theogn. 127:

οὐ γὰρ ἂν εἰδείης ἀνδρὸς νόον οὔτε γυναικὸς,
πρὶν πειραθείης, ὥςπερ ὑποζυγίου.

periclitatis) Passive. cfr. Zumpt. Gr. c. 81. §. 632. b. — *saepe*) solet in gradatione per enumerationem *saepe* summum indicare. Cfr. Cic. Orat. 66. 224. *Saepe singulis utendum est, plerumque binis, non fere ternis.* Nostro autem loco gradatio est *quidam saepe* — *quidam, quos* — *ubi eos, qui* —. — *perspiciuntur, quam sint*) per attractionem pro: *perspicitur, quam leves quidam.* Cfr. supra c. 16. §. 56. — *cognoscuntur*) differt a *perspiciuntur*, quod hoc quidem absolute ponitur, illud relative. — *honores, magistratus, imperia*) vox *honores* generaliter complectitur *magistratus*, sc. urbanos, *imperia* sc. militaria. — *potestates, opes*) *potestas* est magistratuum potentia, ideoque legitima, *opes* potentia singulorum, nec raro injusta. Cfr. Manil. 24: *qui quid hoc beneficio populi Romani atque hac p o t e s t a t e p r a e t o r i a possum.* et Phil. I, 12: *Credo enim vos* — — *non o p e s v i o l e n t a s, sed caritatem civium, et gloriam concupisse.* — *consecuti sunt*) Sic lectio vulgata, quam tuentur Gernh. et Orellius. Non dubito praeferre *cons. sint*, quod ex libro nuper dedit Beierus. Non fert enim Perfectum tempus Indic. Grammatica Latina, quia de Futuro tempore h. l. sermo est, quod patet ex Fut. *obscuratum iri.* Restituendum igitur Fut. exact. Conj. Sententia autem *quam etiam si* — *cons. sint* non jungenda est cum verbo *arbitrantur*, sed cum Infinit. *obscuratum iri*, tamquam pars orationis obliquae, a voce *arbitr.* pendentis.

64 neglecta amicitia. Itaque verae amicitiae difficillime reperiuntur in iis, qui in honoribus reque publica versantur. Ubi enim istum invenias, qui honorem amici anteponat suo? Quid? haec ut omittam, quam graves, quam difficiles plerisque videntur calamitatum societates! ad quas non est facile inventus, qui descendat. Quamquam Ennius recte:

Amicus certus in re incerta cernitur:

tamen haec duo levitatis et infirmitatis plerosque convincunt, aut si in bonis rebus contemnunt aut in malis deserunt.

64. INVENTU

---

§. 64. del. *plerisque* B. — *inventus* bc. v. m. R. M. — *cont. amicos* Olx. Dresd. uterq. Sch. 2. prob. Mosero. — *aut si* b. v. V. m. R. M. L.

§. 64. *honoribus reque publica*) ἓν διὰ δυοῖν pro in reipublicae honoribus. cfr. supra c. 9. §. 29. et c. 6. §. 20. — *istum inven.*) non *illum*; nam cum Secunda verbi Pronom. demonstrat. *iste* jungi solet. Cfr. Parad. II, 17.: *Eum tu hominem terreto, si quem eris naetus, istis mortis aut exsilii minis.* — *quam graves, quam difficiles*) *graves* sunt calamitatum societates istis, dum res adversas amicorum una ferre, *difficiles*, dum amicos afflictos levare atque erigere debent. — *est facile inventu*) nullo modo fert grammaticae ratio dicere: *facile inventu est, qui descendat.* Aut dandum erat scriptori *facilis inventu* aut *facile inventus*; quam quidem lectionem multorum librorum tuendam esse censeo. Exemplum, quod ad stabiliendam lect. *inventu* attulit Lambinus, non quadrat in hunc locum: Off. II, 14. 48: *Difficile dictu est, quanto opere conciliet animos comitas affabilitasque sermonis.* Praet. *inventus est* autem, ut saepe, in affirmatione graviter pro Fut. temp. ponitur. Cfr. Cic. ad Fam. V, 16: *nulla umquam fuit, liberis amissis, tam imbecillo mulier animo, quae non aliquando lugendi modum fecerit:* Cfr. Zumpt. Gr. c. 76. §. 511. Adverbium *facile* autem est *propemodum*; cum negatione *aegre, vix*. Est igitur *non est facile inventus*, plane ut nos dicimus: Der ist nicht so leicht gefunden, der diefs thäte. Vox *facile* autem nescio quem seduxit, ut scriberet, *inventu*. — *certus in re incerta cernitur*) *Alliteratio*, de qua infra c. 23. §. 88. — *contemnunt deserunt*) haec Verba transit. Sic nude posita gravitatis aliquid habent. Ceterum in *bonis rebus* ad Subjectum sententiae, in *malis* ad Objectum, sc. *amicos*, pertinet. — *tamen haec duo*) Sensus est: recte quidem Ennius dixit, verum amicum cerni in re dubia, ubi operam suam praestat amico periclitanti: leves autem amicos et infirmos *re certa*, id est, aut ipsorum rebus secundis aut nostris rebus adversis cognoscimus convincimusque. —

XVIII. Qui igitur utraque in re gravem, constantem, stabilem se in amicitia praestiterit, hunc ex maxime raro hominum genere iudicare debemus et paene divino. Firmamentum autem stabilitatis constantiaeque eius, quam in amicitia quaerimus, fides est. Nihil enim stabile est, quod infidum. 65
Simplicem praeterea et communem et consentientem, qui rebus eisdem moveatur, eligi par est: quae omnia pertinent ad fidelitatem. Neque enim fidum potest esse multiplex ingenium et tortuosum; neque vero, qui non eisdem rebus movetur naturaque consentit, aut fidus aut stabilis potest esse. Adden-

---

§. 64. — *gen. hom.* bc. E. v. — om. *hominum* a pr. manu a. B. []. — §. 65. — *et qui* v. V. m. R. L. B. — *idem qui* a. E. — *id est, qui* M. (*eisdem* ac. E. Beda B. = *iisdem* Ceteri.) — v. *eodem* B. []. — *illatis* M. — om. *vel.* bc. — *od alium* v. R. — *ab aliq. oblatas* c. v. m. R. M. — *ab al. illatis* L. — *illatas ab al.* Beda ∾ v. *ab aliquo* B. []. — *et semper* r. — *fuisse* pro *esse* Beda. Haec: — *semper* — — *vtve* B. [].

§. 64. *utraque in re*) i. e. in rebus secundis et adversis. — *gravem, const., stab.*) Cfr. supra c. 17. §. 62. Ceterum *gravis* h. l. est firmus sive certus, ut Fam. II, 2: *Gravi teste privatus sum amoris summi erga te mei, patre tuo, clarissimo viro:* et Rosc. Com. 2: *quod apud omnes leve et infirmum est, id apud judicem grave et sanctum esse ducetur?* — *paene div.*) Solet in gradatione adhiberi Partic. *paene;* de Div. I, 25: *Quid? Singulari vir ingenio Aristoteles et paene divino, ipsene errat, an alios vult errare?*

§. 65. *fides est*) i. e. veritas; Off. I, 7: *Fundamentum justitiae est fides, id est, dictorum conventorumque constantia et veritas.* — *communem*) *communis* h. l. is dicitur, qui non est superbus, non fastidiosus, neque remotus ab hominum societate vivit, id semper cogitans, quod noster Fin. IV, 2: *Homines natos ad congregationem hominum, et ad societatem communitatemque generis humani.* Cfr. item Fam. IX, 24: *moneo te, quod pertinere ad beate vivendum arbitror: ut cum viris bonis, jucundis, amantibus tui vivas. Nihil aptius vitae, nihil ad beate vivendum accommodatius. Nec id ad voluptatem refero: sed ad communitatem vitae, atque victus, remissionemque animorum: quae maxime sermone efficitur familiari, qui est in conviviis dulcissimus.* — *fidelitas*) *fidelis* dicitur, qui, dum nos nunquam non sectatur, de animo suo fidem facit. cfr. ad Quint. Frat. I, 3: *quid quod mulierem miserrimam, fidelissimam conjugem, me prosequi non sum passus, ut esset, quae reliquias communis calamitatis, communes liberos tueretur?* — *qui rebus iisdem moveatur*) haec eo magis

dum eodem est, ut ne criminibus aut inferendis delectetur aut credat allatis: quae omnia pertinent ad eam, quam iamdudum tracto, constantiam. Ita fit verum illud, quod initio dixi, amicitiam nisi inter bonos esse non posse. Est enim boni viri, quem eundem sapientem licet dicere, haec duo tenere in amicitia: primum, ne quid fictum sit neve simulatum; aperte enim vel odisse magis ingenui est, quam fronte occultare sententiam: deinde, non solum ab aliquo allatas criminationes repellere, sed ne ipsum quidem esse suspiciosum, semper aliquid
66 existimantem ab amico esse violatum. Accedat huc suavitas quaedam oportet sermonum atque morum, haudquaquam mediocre condimentum amicitiae. Tristitia autem et in omni re se-

65. OBLATIS

---

§. 66. = *serm. op.* Beda ∾ del. *oportet* B.

mihi interpretamentum olent, ex sequentibus adscitum, quod in aliis libris praemittitur *hoc est, id est.* — *multiplex — et tortuosum*) *multiplex* est, qui non idem semper sequitur, modo huc vagans, modo illuc; *tortuosus* tectus ille dicitur, cujus animum atque voluntatem non facile perscrutari possis. Cfr. ad Att. VI, 2: *sed est magnum illud quidem, verumtamen multiplex pueri ingenium: quo ego regendo habeo negotii satis;* et Div. II, 63: *cum stertentes aliquos viderint, his objicere visa quaedam tortuosa et obscura, quae mane ad conjectorem deferant.* — *addendum eodem*) ut infra §. 66. *accedat huc,* pro *accedat ad hoc.* — *ut credat oblatis*) Quis, obsecro, unquam dixit *crimina offerre.* Lege mecum *allatis,* quo ducit lectio altera *illatis;* ut infra *criminationes allatas repellere.* — *quem eundem*) cfr. Zumpt. Gr. c. 84. §. 697. — *fictum — simulatum*) cfr. c. 8. §. 26. — *vel odisse*) *odisse* sine objecto graviter positum est. De Particula *vel* cfr. supra c. 13. §. 43. — *quam fronte occultare*) qualis fuit Achilles apud Ennium: *Eo ego,* inquit, *ingenio natus sum, amicitiam atque inimicitiam in fronte promptam gerere.*

§. 66. *suavitas*) homo *suavis* vel moribus vel sermone, dum non est morosus, neque castigat alios neque objurgat. Cfr. pro Coel. 11 (Herenn.): *qui in reliqua vita mitis esset, et in hac suavitate humanitatis, qua prope jam delectantur homines versari perjucunde soleret, fuit in hac causa pertristis quidam patruus, censor, magister; objurgavit M. Coelium, sicut neminem unquam parens; multa de incontinentia, intemperantiaque disseruit.* — *tristitia*) *tristis* h. l. vultus dicitur, qui animum perturbatum indicet; *severitas* autem recti est animi; haec in laudibus ponitur, illa in vitiis. Cfr. Tac. hist. I, 14: *Piso, M. Crasso et Scribonia genitus, nobilis utrimque, vultu habituque moris antiqui, et aestimatione recta severus, deterius interpretantibus tristior habebatur.* et Senec. Controv. II, 14: *Praematura severitas non est frugalitas sed tristitia.* — *in omni re severitas*) *in omni re* Adjectivi loco, ut

veritas, habet illa quidem gravitatem; sed amicitia remissior esse debet et liberior et dulcior et ad omnem comitatem facilitatemque proclivior.

Capitt. XIX. XX.

Novas amicitias, si quae contrahantur, veteribus vetat ne praeferamus. Deinde id in vera amicitia maxime laudandum putat, quod inferiorem superior secum exaequare atque ad honores provehere studeat; in quo quidem officio quid cavendum sit observandumque, edocet. Non oportere autem monet, qui nobiscum pueri venandi aut pilae studiosi fuerint, hos eligere amicos; sed, quos corroboratis ingeniis et aetatibus probaveris. Hortatur denique, ne intemperata sit inter amicos benevolentia, neu impedimento ad res gerendas.

XIX. Exsistit autem hoc loco quaedam quaestio subdifficilis: num quando amici novi, digni amicitia, veteribus sint 67

---

§. 67. *quaestio quaedam* a. alibi Adverbia, Substantivo adjectum est; sic Virg.: *Iri, viam celerans per mille coloribus arcum;* item Ter. Andr. I, 2. 1.:

Mirabar, hoc si sic abiret; et heri semper lenitas etc.

et Liv. XXI, 39: *Junxissetque sibi — — — ni eos — subito adventus consulis oppressisset.* — *illo quidem)* Quum propensiores sumus ad vituperandam aliquam rem, quam tamen aliquatenus probandam esse cernimus, haec probatio per Demonstrat. *ille*, adjecta Particula *quidem*, interjicitur. Cfr. Tusc. 1. 3: *Multi jam esse Latini libri dicuntur scripti inconsiderate ab optimis illis quidem viris, sed non satis eruditis.* item Off. 1. 29: *Ludo autem et joco uti illo quidem licet, sed sicut somno et quietibus ceteris tum, quum gravibus seriisque rebus satisfecerimus.* Hoc autem dicit Laelius, tristitiam non esse probandam, severitatem ita vituperandam, si nullo loco excludatur. — *gravitatem* i. e. *auctoritatem.* — *remissior et liberior et dulcior) liberior,* qui opponitur *severo*, aliis aliquid permittere solet, atque obsequi; qui *dulcis* est, hilari est animo et prompto ad ludum jocumque, atque hic oppositus est *tristi; remissior* autem generaliter dictum de *liberiore* et *dulciore.* — *comitatem facilitatemque) comitas* in obsequio cernitur et benignitate, *facilitas* in condonando et concedendo. Cfr. Cic. pro Balb. 16: *Comes, benigni, faciles, suaves homines esse dicuntur* . . . et pro leg. Man. 14: *Jam vero ita faciles aditus ad eum privatorum, ita liberae querimoniae de aliorum injuriis esse dicuntur, ut is, qui dignitate principibus excellit, facilitate par infimis esse videatur.* et ad Quint. Frat. I, 1. 7: *Adjungenda etiam est facilitas in audiendo, lenitas in decernendo, in satisfaciendo ac disputando diligentia.* —

§. 67. *num quando)* Cfr. Zumpt.

anteponendi, ut equis vetulis teneros anteponere solemus? Indigna homine dubitatio! Non enim amicitiarum debent esse, sicut aliarum rerum, satietates. Veterrima quaeque, ut ea vina, quae vetustatem ferunt, esse debet suavissima: verumque illud est, quod dicitur, multos modios salis simul edendos esse,
68 ut amicitiae munus expletum sit. Novitates autem, si spem afferant, ut, tamquam in herbis non fallacibus, fructus appareat, non sunt illae quidem repudiandae; vetustas tamen suo loco conservanda est. Maxima est enim vis vetustatis et consuetudinis. Atque in ipso equo, cuius modo mentionem feci, si nulla res impediat, nemo est, qui non eo, quo consuevit,

67. DEBENT SUAVISSIMA — 68. QUIN —

---

§. 68. — *loco suo*. ab. — del *suo* B. — Sic Pith. P. G. B. probb. Garaton. ad Philipp I. 12. Goer. et Mos. *Quin in ipso* e. b. L. *quin et in ipso* e. E. — *Atqui in ipso* e. a. v. V. m. R. M. 3. 1.

Gr. c. 35. §. 137. — *vetulis) equi vetuli*, i. e. paulo annosiores, recte opponuntur *teneris*. De voce *vetulus* cfr. Cic. Fam. VII, 6: *In equo Trojano scis esse in extremo: „Sero sapiunt". Tu tamen, mi vetule, non sero: primas illas rabiosulas sat fatuas dedisti.* — *indigna homine dubit.)* vocem *homine* ne otiosam putes, hunc locum sic interpretare: in bestiis quidem hoc quaeri potest, quae sint praeferendae, sed indignum est de homine tale quid quaerere aut dubitare. — *satietates)* Pluralis *satietates* Pluralem *amicitiarum* sequitur. Cfr. Zumpt. Gr. c. 22. §. 92. — *veterrima quaeque — suavissima)* Aut lectio *veterrimae quaeque — suavissimae* cum Erasmo, Gernhardo aliisque tuenda est, aut *debet* cum Beiero legendum. Nam cum illa sententia generali *quaeque veterrima* etc. non potest fieri comparatio *ut ea vina*, quum res tantum singulae singulis comparentur. Accedit, quod nexus cum consequentibus *verumque illud est* etc. turbaretur, nisi in antecedentibus de amicitia disserte esset dictum. Beieri temen emendationem ut faciliorem magis probo. — *verumque illud) verum enim, verum tamen verumque* formulae sunt ad inferenda proverbia. cfr. supra c. 7. §. 23. et infra c. 23. §. 88. — *multos modios salis)* i. e. longo opus esse hospitio vitaeque consortio, *ut am.* etc. Nam *sal et mensa* veteribus in proverbio erat ad jus hospitii significandum, ut apud Aesch. *Τους γὰρ τῆς πόλεως ἅλας καὶ τὴν δημοσίαν τράπεζαν περὶ πλείστου δή φησι ποιεῖσθαι* et illud *Ἅλα καὶ τράπεζαν μὴ παραβαίνειν.*

§. 68. *spem afferunt, ut)* insolentior constructio pro Accusat. cum Infin.; cujus quidem ratio haec. Latet enim in his verbis *Novitates autem* etc. sententia talis: Quod ad novitates amicitiarum, timendum est, ut, tamquam in herbis fallacibus, fructus appareat. Quam quidem sententiam sic verecundius per hypothesin effert scriptor.

libentius utatur, quam intractato et novo: nec vero in hoc, quod est animal, sed in iis etiam, quae sunt inanima, consuetudo valet: quum locis ipsis delectemur, montuosis etiam et

---

2. ∾ *Atque in ipso* e. Facc. prob. Voorda et Beiero Off. T. 2. p. 267. ∾ *intacto* Beda. — *locis etiam ipsis mont., del, et silv.* v. V. 3, 1. 2.

Est igitur *si spem afferunt* idem, ac si dixisset *nisi metum afferunt, ut* etc. — *in herbis)* Ovid. Her. XVII, 262: *sed adhuc tua messis in herba est.* — *illae quidem)* cfr. c. 18. §. 66. — *vis vetustatis et consuetudinis) vetustatis*, quia vetusta quaeque plurimum gravitatis atque auctoritatis habent; *consuetudinis*, quia eos, quibus multos annos familiariter usi sumus, aegre desideramus. Cfr. Fam. XI, 16: *Profecto nemo, nisi gravi ac suavi commotus oratione, cum viribus plurimum posset, ad jus voluisset sine vi descendere: ut, inter quos posset excellere, cum iis se pateretur aequari, et sua voluntate a jucundissima consuetudine recederet, quae praesertim jam naturae vim obtineret propter vetustatem.* — *Quin ipso equo)* Male *Quin* pro *Atque* rescripsit Gernhardus, quem nuper secutus cum Beiero Orellius. Aliena est ab hoc loco Particula *quin*, quae nonnisi in gradatione per Contrarium proximi usurpatur, idemque valet, quod *immo contra;* Cfr. supra c. 16. §. 59: *Quin etiam necesse erit* etc.; et ibid. §. 60: *Quin etiam si minus* etc. item Fam. VII, 30: *Ego vero jam te nec hortor, nec rogo, ut domum redeas; quin hinc ipse evolare cupio, et aliquo pervenire, ubi nec Pelopidarum nomen, nec facta audiam.* et ibid 1: *Extremus elephantorum dies fuit: in quod ammiratio magna vulgi atque turbae: delectatio nulla exstitit: quin etiam misericordia quaedam consecuta est;* Mil. 35. 98: *nulla unquam obmutescet vetustas. Quin hoc ipso tempore — omni sermone celebramur.* ad Att. I, 17; Leg. 1. 20: *Videtisne, quanta series rerum sententiarumque sit: atque ut ex alio alia nectantur? quin labebar longius, nisi me retinuissem.* Nam hoc dicit noster l. l. tantam esse rerum seriem, ut longius a proposito jam digressus sit, quam par fuerit. *Atque* autem Particula juste hanc sedem sibi vindicat, siquidem frequentissime ea usurpatur in tali contextu, in quo, ut nunc, argumentis exemplisque allatis quaedam sententia generalis illustratur. Cfr. supra c. 15. §. 54. *Atque hoc quidem videre licet* etc. cfr. etiam Horat. Sat. I, 10. 10. *Atque ego cum Graecos facerem,* etc. et Hand. Tursellin. I. pagina 476 et. seqq. Inconstantia autem constructionis *in ipso equo — non eo utatur* excusatur plurium sententiarum interjectione. — *quo consuevit)* Non est supplendum verbum *uti*, sed Ablativus *quo* pendet a verbo *consuevit;* vis enim est h. l. in *consuescere* cfr. Verr. V. 12. — *intractato et novo)* Gradatio a minori ad majus; nam *intractato* est *insueto.* — *quod est anim.)* de Generis Ennallage Relativi *quod* post *hoc* sc. *hoc equo* cfr. supra c. 14. §. 50. — *locis ipsis) ipsis* h. l. emphatice adjectum est; subintelligendum enim: etiamsi ista loca nullis hominibus frequententur. Quod quidem in primis valet de montibus et silvis. cfr. de re Leg. 2. 1: *Sed hoc ipso in loco, quum avus viveret, et antiquo more parva esset villa, ut*

69 silvestribus, in quibus diutius commorati sumus. Sed maximum est in amicitia, superiorem parem esse inferiori. Saepe enim excellentiae quaedam sunt, qualis erat Scipionis in nostro, ut ita dicam, grege. Numquam se ille Philo, nunquam Rupilio, nunquam Mummio anteposuit, nunquam inferioris ordinis amicis. Q. vero Maximum fratrem, egregium virum omnino, sibi nequaquam parem, quod is anteibat aetate, tamquam superiorem colebat suosque omnes per se esse ampliores volebat.

70 Quod faciendum imitandumque est omnibus, ut, si quam praestantiam virtutis, ingenii, fortunae consecuti sunt, impertiant ea suis communicentque cum proximis; ut, si parentibus nati sint humilibus, si propinquos habeant imbecilliores vel animo vel fortuna, eorum augeant opes eisque honori sint et dignitati: ut in fabulis, qui aliquamdiu propter ignorationem stirpis et generis in famulatu fuerint, quum cogniti sunt et aut deorum aut regum filii inventi, retinent tamen caritatem in pastores, quos patres multos annos esse duxerunt. Quod profecto multo

70. MULTO PROF. —

§. 69. — om. *profecto* a prob. Goer. Del. B. (Mox.: = *veris in p.* G. solus.)

illa Curiana in Sabinis, me scito esse natum. Quare inest, nescio quid, et latet in animo ac sensu meo, quo me plus hic locus fortasse delectat: si quidem etiam ille sapientissimus vir, Ithacam ut videret, immortalitatem scribitur repudiasse.

§. 69. *excellentiae quaedam)* Pluralis numerus h. l. ad Particulam *saepe* se accomodat. Cfr. supra §. 67. — *ut ita dicam, grege)* excusat tralatitiam significationem vocabuli *grex* pro *coetus*, *secta*, quae alias de conjunctione amicorum adhiberi solent. Cfr. de Orat. I, 10: *Urgerent praeterea philosophorum greges, jam ab illo fonte et capite Socrate* etc. Ter. Eun. V, 8. 54: *Oro, ut me in vestrum gregem recipiatis.* — *omnino, sibi)* Recte sic distinxerunt Beier. et Orell.; nam voces *omnino* et *sibi* opponuntur, cum sit sensus: Maxime egregius quidem vir fuit inter ceteros, vel in universum, sed impar Scipioni fratri. — *quod is anteib.)* Notandus tironi usus Pronominis *is*, quem flagitat in continuatione orationis Subjecti mutatio. — *colebat — volebat)* excidit h. l. Homoeoteleuton scriptori.

§. 70. *virtutis, ingenii, fortunae)* *virtutis* sc. fortitudinis militaris, *ingenii*, industriae videlicet, inprimis forensis. Sic Africanus major cum fratre Asiatico fortitudinis militaris, Laelius cum Africano minore industriae forensis praestantiam communicasse narrantur. — *impertiant — communicent)* im-

magis in veris patribus certisque faciendum. Fructus enim ingenii et virtutis omnisque praestantiae tum maximus capitur, quum in proximum quemque confertur.

XX. Ut igitur ii, qui sunt in amicitiae coniunctionisque 71 necessitudine superiores, exaequare secum inferiores debent: sic inferiores non dolere, se a suis aut ingenio aut fortuna aut dignitate superari. Quorum plerique aut queruntur semper ali-

71. SE CUM INFERIORIBUS —

---

pertire spectat ad vocem *fortuna* in praecedentibus, *communicare* ad voces *virtus* et *ingenium*. Nam *impertire* est rem ipsam partire, *communicare* usum alicujus rei cum aliquo communem habere. Cfr. Fam. XV, 21. — *vel animo*) i. e. si minus possunt viribus ingenii. — *stirpis et generis*) *stirps* et *genus* ita differunt, ut *stirps* locum vel originem hominis designet, *genus* indolem ac nobilitatem. Cfr. Nep. Att. I, 1: *Titus Pomponius Atticus, ab origine ultima* s t i r p i s *Romanae generatus, perpetuo a majoribus acceptam equestrem obtinuit dignitatem.* Phil. II, 5: *virtus, quae propria est Romani* g e n e r i s *atque seminis* etc. — *quod multo profecto*) alii legunt per transpositionem *profecto multo magis;* quam equidem veram lectionem ausim dicere. Recte autem Beierus in voculis *multo magis* vim inesse negat; illud vero non recte, quod *profecto* ejiciendum censet. Nemo nimirum non videt vim hujus sententiae hanc esse, ut *vera res* opponatur *fabulae;* quod fit tum per voces *in veris patribus*, tum pleonastice praemisso Adverbio *profecto.* Nam *profecto* haud raro idem est, quod *re vera, re ipsa,* exemplo, ut Cat. V. init: *Quorsum igitur haec tam multa de Maximo? quia* p r o f e c t o *videtis, nefas esse dictu, miseram fuisse talem senectutem.* Cfr. supra c. 1. §. 2: *meministi enim* p r o f e c t o i. e. ut vere factum est; et c. 14. §. 50: p r o f e c t o *verum esse* i. e. re ipsa accidere. — *veris — certisque*) veri patres, qui sunt in vita communi, non in fabulis; *certi* autem, qui patres sunt, non, ut illi pastores, habentur. — *fructus*) i. e. voluptas ex ingenio vel virtute capta, ut Off. II, 16: *Est enim multus in laudanda magnificentia et apparatione popularium munerum: taliumque sumptuum facultatem* f r u c t u m *divitiarum putat. Mihi autem ille* f r u c t u s *liberalitatis, cujus pauca exempla posui, multo et major videtur, et certior.*

C. XX. §. 71. *amicitiae conjunctionisque*) *amicitia* in voluntate et benevolentia posita est, *conjunctio* in contubernio vel hospitio vel collegio vel propinquitate. — *exaequare se cum inferioribus*) Variat h. l. lectio. Goth. a habet *exaeq. se infer.* omisso *cum;* unde corruptelae ratio possit apparere. Nam, qui legit in libro suo *exaequare se inferiores*, correxit *inferioribus.* Equidem multis de causis rescriptum velim *inferiores*, ut sit contextus: *exaequare secum inferiores.* Primum enim non video, qui fieri possit, ut *superior se* e x a e q u e t

quid aut etiam exprobrant: eoque magis, si habere se putant, quod officiose et amice et cum labore aliquo suo factum queant dicere. Odiosum sane genus hominum officia exprobrantium: quae meminisse debet is, in quem collata sunt, non commemo-
72 rare, qui contulit. Quamobrem, ut ii, qui superiores sunt, submittere se debent in amicitia, sic quodam modo inferiores extollere. Sunt enim quidam, qui molestas amicitias faciunt, quum ipsi se contemni putant: quod non fere contingit nisi iis,

---

inferiori; at recte dicitur *inferior exaequatur superiori.* Deinde nostram rationem postulat totius sententiae concinnitas, quae haec est: Ut amici ordinis superioris non ferre debent amicos suos esse, quam se, inferiores: sic amici ordinis inferioris ferre debent amicos suos, quam se, esse superiores. Tum sententia proxima in fine capitis XIX, unde nostra, apta videlicet per Partic. *igitur*, fluxit, ita scribere jubet. Accedit, quod, si, ut nunc, legas, odiosa occuret infra §. 72 ejusdem sententiae repetitio. Verbum autem *exaequare* ita adhiberi solet, ut aequationem a minori ad majus vel ab inferiori ad superius indicet, ut Verr. II, 50: *iste qui omnia jura pretio exaequasset, omnium rerum delectum atque discrimen pecunia sustulisset etc.* et post. Red. II, 9: *Etenim ulciscendae injuriae facilior ratio est, quam beneficii remunerandi, propterea quod superiorem esse contra improbos, minus est negotii, quam bonis exaequari:* et Caes. Bell. Civ. I, 4: *Ipse Pompejus ab inimicis Caesaris incitatus, quod neminem secum dignitate exaequari volebat, totum se ab ejus amicitia everterat.* — *aut ingenio aut fort. aut dign.*) Partic. *aut* h. l. non excludit, sed ita dividit, ut simul eventus rei spectetur; qui quidem quum in ejusmodi disjunctionibus non respicitur, sed res tantum posse fieri cogitatur, Part. *vel* locum habere debet. — *aut etiam*) *aut* gradationi inservit, cfr. Cic. de Div. 2. 26: *jam vero conjectura omnis ingeniis hominum in multas ac diversas, aut etiam contrarias partes saepe deducitur.* — *non commemorare*) Cfr. Ter. Andr. I, 1. 15: *habeo gratiam;*
Sed mi hoc molestum est: nam isthaec commemoratio
Quasi exprobratio est immemoris beneficî.

§. 72. *inferiores extollere*) Aut ex antecedente Pronom. *se* supplendum, aut ex lib. B. recipiendum; facillime enim inter *inferiores* et *extollere* excidere poterat. *Inferiores* autem pro Nominativo habendum esse, illud *ipsi* in verbis *quum ipsi se contemni putant* satis indicat; nam si vult, *ne ipsi se contemni putent,* necessario vult, ut *ipsi se extollant.* Deinde si *inferiores* sit Accusativus, quid sibi velit istud *quodammodo?* non enim *quodammodo* extollendi sunt ab amicis superioribus inferiores, sed omni modo, *verbis et opera.* Quodammodo autem idem est, quod *ut ita dicam*, mitigatque sententiam audaciorem. Accedit, quod illa in Antecedente *ut ii, qui* — proprium etiam Consequenti comparationis exspectare jubent Subjectum. Ceterum, quae sequuntur — *qui hac opinione* etc. — non suadent, ut Gernhardus putat, „ut superiores intelligantur extollere debere eos, qui se contemni putant"; sed hoc tantum dicit scriptor, ut amicus ordi-

qui etiam contemnendos se arbitrantur; qui hac opinione non modo verbis, sed etiam opera levandi sunt. Tantum autem cui- 73
que tribuendum, primum, quantum ipse efficere possis; deinde etiam, quantum ille, quem diligas atque adiuves, sustinere. Non enim tu possis, quantumvis excellas, omnes tuos ad honores amplissimos perducere: ut Scipio P. Rupilium potuit consulem efficere; fratrem eius Lucium non potuit. Quod si etiam possis quidvis deferre ad alterum, videndum est tamen, quid ille possit sustinere. Omnino amicitiae, corroboratis iam con- 74

72. OPERE —

---

§. 73. ∾ del. *etiam* cum Cd. B. Gernhardi V. R. B. — *producere* Pith. prob. Graev. Recepit. Lall. — §. 74. — *fuerunt* E. B. — *oportet* post *necess.* Edd. ante G· — om. *mores* c. — pro *disnis* superioris amico inferiori, erigere se atque extollere studenti, adesse velit consilio et opera. Unde fit transitus ad praeceptum proximum. — *verbis — opere*) Male tuentur libri lectionem *opere*; *opus* enim constanter de manuum labore aut bestiarum adhibetur, *opera* autem de hominum industria; quod quidem h. l. restituendum est. Cfr. Off. II, 3. 11: *Expertes rationis equi, boves, reliquae pecudes, apes, quarum o p e r e efficitur aliquid ad usum hominum atque vitam.* item Nat. D. II, 60. 151: *Jam vero o p e r i b u s hominum, id est, manibus cibi etiam varietas invenitur et copia. Nam et agri multa efferunt manu quaesita, quae vel statim consumantur, vel mandentur condita vetustati.* et de Div. II, 27. 59: *Nos autem ita leves atque inconsiderati sumus, ut, si mures corroserint aliquid, quorum est o p u s hoc unum, monstrum putemus?* et Caes. Bell. Gall. VII, 27: *Quum is murum hostium paene contingeret, et Caesar ad o p u s consuetudine excubaret milites que cohortaretur, ne quod omnino tempus ab o p e r e intermitteretur.* Solent autem *opera* et *consilium* sibi opponi ut Liv. XXII, 22: *Ministerium restituendorum domos obsidum mihimet deposco ipse, ut o p e r a quoque impensa c o n s i l i u m adjuvem meum;* et supra c. 14. §. 51: *Ubi enim studia nostra viguissent, si nunquam c o n s i l i o, nunquam o p e r a nostra nec domi nec militiae Scipio eguisset?* Cfr. Doederlein Syn. et Etym. I. p. 114.

§. 73. *tu possis*) Pronomen *tu* opponitur Pronomini *ille* in sequentibus *quid ille possit sustinere*, quasi constructio esset: „*non enim tu possis — perducere; neque alter ille quidvis sustinere.*“ — *quamvis licet*) *quamvis* saepe pro *quantumvis* i. e. *admodum*, *valde* ponitur, ut pro Rosc. Am. 32: *Verum, ut coepi dicere, et Erucius, haec si haberet in causa, quae commemoravi, posset ea q u a m v i s diu dicere;* etc. et Nat. D. III, 36: *Q u a m v i s l i c e t Menti delubra et Virtuti et Fidei consecremus, tamen haec in nobis ipsis sita videmus: Spei, Salutis, Opis, Victoriae facultas a diis expetenda est.*

§. 74. *corroboratis — confirmatisque*) illud ingenii et aetatis tempestivitatem, hoc constantiam denotat. — *si qui*) i. e. qui. —

firmatisque et ingeniis et aetatibus, iudicandae sunt: nec, si qui ineunte aetate venandi aut pilae studiosi fuerint, eos habere necessarios, quos tum eodem studio praeditos dilexerunt. Isto enim modo nutrices et paedagogi iure vetustatis plurimum benevolentiae postulabunt: qui negligendi quidem non sunt, sed alio quodam modo. Aliter amicitiae stabiles permanere non possunt. Dispares enim mores disparia studia sequuntur, quorum dissimilitudo dissociat amicitias: nec ob aliam causam ullam boni improbis, improbi bonis amici esse non possunt, nisi quod tanta est inter eos, quanta maxima potest esse, morum

---

soc. separat Beda. (— v. *amicitias* B. [ ].) = *esse pot.* a. (— v. *esse* B. [ ].) —

venandi aut pilae) Significat aetatem puerilem *pila*: *venatio* autem adolescentiam, pertinetque vox *venandi* ad *ineunte aetate*, non item *pila*. Cfr. Ter. Andria I, 1. 28:

Quod plerique omnes faciunt adolescentuli,
Ut animum ad aliquod studium adjungant, aut equos
Alere, aut canes ad venandum, aut ad philosophos etc.

et Martialis Apoph. XIV, 45:

Ite procul, juvenes! mitis mihi convenit aetas;
Folle decet pueros ludere, folle senes.

Nam Partic. *aut* etiam nude posita gradationi inservit tam in descensu, quam in adscensu, ut Tusc. 1. 3. 5: *ita magnos nostram ad aetatem, ut non multum aut nihil omnino Graecis cederetur.* et supra c. 12. §. 41: *num quid simile* etc. — *eos habere nec.*) ad Infinitivum *habere* ex verbis superioribus *judicandae sunt* repetendum per Synesin *oportet.* — *necessarios*) *necessarii* h. l. ut saepe, pro *amicis* dicuntur, ut Sull. 1: *Et quoniam L. Torquatus, meus familiaris ac necessarius, judices, existimavit, si nostram in accusatione sua necessitatem familiaritatemque violasset, aliquid se de auctoritate meae defensionis posse detrahere,* etc. — *tum eodem etc.*) Confer, sis, hoc *tum* cum illo supra c. 15. §. 53. — *paedagogi*) Nam apud veteres paedagogi ex servorum numero sumebantur. — *sed alio quod.*) supplendum per Synesin ex proxime antecedentibus *diligendi.* Aliter locum interpretatur Aldi N. „qui multo minore culpa negliguntur, quam veteres amici." — *dissimilitudo dissociat*) Alliteratio cum Annominatione, ut supra §. 72: *qui superiores sunt, summittere* (vel submittere) *se debent.* — *boni improbis, impr. bon.*) dictum pro *boni et improbi sibi invicem* etc. Solet autem *improbus* tamquam Synonymum negativum opponi Affirmativo *bonus*; ceterum vox *improbus* magis audaciam, *bonus* mores respicit. — *quanta maxima*) Cfr. Zumpt. Gr. c. 84. §. 689. — *distantia*) hoc Substantivo Cicero nullo alio loco usus est pro *dif-*

studiorumque distantia. Recte etiam praecipi potest in amici- 75
tiis, ne intemperata quaedam benevolentia, quod persaepe fit, impediat magnas utilitates amicorum. Nec enim, ut ad fabulas redeam, Troiam Neoptolemus capere potuisset, si Lycomedem, apud quem erat educatus, multis cum lacrimis iter suum impedientem, audire voluisset. Et saepe incidunt magnae res, ut discedendum sit ab amicis: quas qui impedire vult, quod desiderium non facile ferat, is et infirmus est mollisque natura, et ob eam ipsam causam in amicitia parum iustus. Atque 76
in omni re considerandum est, et quid postules ab amico, et quid patiare a te impetrari.

C a p u t. XXI.

Dimittendarum jam amicitiarum necessitate orta — quod quidem in vulgaribus amicitiis non raro accidit — has non repente vult

---

§. 75. — v. *in amic.* B. [].

ferentia; at verbo *distare* utitur Orat. 10. 34: *Quid enim tam distans, quam a severitate comitas?*

§. 75. *intemperata quaedam*) Adjectivis magnitudinem vel excellentiam rei significantibus apponi Pronomen *quidam* jam supra c. 9. §. 29, monitum est. Adde Att. VII, 16: *Audio majorem quendam in urbe timorem esse.* — *ad fabulas red.*) nam supra quoque c. 20. §. 70. fabularum exempla in auxilium vocat. — *impedientem*) i. e. impedire conantem, Participium Imperfecti conatus: de quo quidem usu cfr. infra c. 25. §. 96. — *ferat*) Conjunctivus orationis obliquae. cfr. Zumpt. Gr. c. 78. §. 549. — *infirmus — mollisque*) *infirmus* est, qui labores perferre nequit, *mollis*, qui voluptati aliquid tribuere solet. Cfr. de Orat. I, 52: *Quae vero addidisti, non modo senatum servire posse populo, sed etiam debere, quis hoc philosophus tam mollis, tam languidus, tam enervatus, tam omnia ad voluptatem corporis doloremque referens, probare posset!* — *parum justus*) Manutius interpretatur: quod plus delectationi suae tribuit, quam aut utilitati, aut officio amici. Male! nam sic non dixisset *ob eam ipsam causam*. Dicit autem hanc ipsam infirmitatem mollitiemque causam esse, cur talis modi amicitia dissuenda sit; *parum justus* enim est *parum idoneus* ad amicitiam, ut supra c. 17. §. 62: *firmi et stabiles et constantes eligendi.* Sic autem filum orationis habet, quo ad ea, quae capite sequenti est dicturus, ducatur. —

§. 76. *atque in omni re*) *atque* orationi finem imponit; nempe rem actam esse significat, ut Cat. 14. 50: *Atque haec quidem studia doctrinae: quae quidem prudentibus et bene institutis pariter cum aetate crescunt.*

discindi, sed paullatim remissione consuetudinis; caverique monet, ne quando in inimicitias se convertant amicitiae. Istus autem calamitatis hanc esse provisionem, ne nimis cito diligas neve non dignos. Describit autem veri amici, qualis sit, imaginem.

XXI. Est etiam quasi quaedam calamitas in amicitiis dimittendis nonnunquam necessaria: iam enim a sapientium familiaritatibus ad vulgares amicitias oratio nostra delabitur. Erumpunt saepe vitia amicorum tum in ipsos amicos, tum in alienos, quorum tamen ad amicos redundet infamia. Tales igitur amicitiae sunt remissione usus eluendae et, ut Catonem dicere audivi, dissuendae magis, quam discindendae; nisi quaedam admodum intolerabilis iniuria exarserit, ut neque rectum neque honestum sit nec fieri possit, ut non statim alienatio
77 disiunctioque facienda sit. Sin autem morum aut studiorum commutatio quaedam, ut fieri solet, facta erit, aut in rei publicae partibus dissensio intercesserit — loquor enim iam, ut paullo ante dixi, non de sapientium, sed de communibus amicitiis — cavendum erit, ne non solum amicitiae depositae, sed

---

§. 76. *tum* ab. E. v. V. m. R. 2. G. — *quum* c. L. P. 3. l. B. — *redundat* E. R. — §. 77. — *aut* [*in*] *r. p.* [*partibus*] *diss.* B. — om. *in* E. = *etiam in* ab. E. ∾ del. *etiam* B. — *gravi auctoritate* b. prob. Sch. Idem susp. : — *offensione amici non a.*

C. XXI. §. 76. *quasi quaedam*) Cfr. Zumpt. Gr. c. 84. §. 707. Nam vox *calamitas* de tempestate frugibus perniciosa proprie dicitur, ut Verr. III, 98: *Dixi — rationem arandi spe magis et jucunditate quadam, quam fructu atque emolumento teneri. Etenim ad incertum casum et eventum certus quotannis labor et certus sumtus impenditur. Annona porro pretium, nisi in calamitate fructuum, non habet.* — *in ipsos am.*) Pronom. *ipse* h. l. significat — ut ita dicam — *immediate*, opponiturque sequentibus *quorum tam.* — — *redundet inf.* — *tamen ad am.*) *tamen* h. l. idem valet, quod *certe.* — *injuria exarserit*) *injuria*, ut recte monuit Beier., exardescere dicitur sic, ut Antecedens accipiatur pro Consequente, i. e. *indignatione* v. *dolore* ex injuria accepta. — *nec rectum — neque honestum*) i. e. vitiosum, et turpe. Nam *rectum* opponitur *vitio* sive *pravitati.* — *neque fieri possit, ut non*) *ut non* h. l. pro *quin* cfr. Zumpt. Gr. c. 78. §. 539. — *alienatio disjunctioque*) *alienatio* sc. animi, *disjunctio* autem amicitiae. — *facienda sit*) pleonastice post *fieri potest*, ut alibi post *restat, reliquum est* Particip. Fut. Pass. invenitur.

§. 77. *ne non solum* etc.) Conjunct. *ne* ad Consequens etiam re-

inimicitiae etiam susceptae videantur. Nihil enim turpius, quam cum eo bellum gerere, quicum familiariter vixeris. Ab amicitia Q. Pompeii meo nomine se removerat, ut scitis, Scipio; propter dissensionem autem, quae erat in re publica, alienatus est a collega nostro Metello: utrumque egit graviter, auctoritate et offensione animi non acerba. Quamobrem primum 78
danda opera est, ne qua amicorum dissidia fiant: sin tale aliquid evenerit, ut exstinctae potius amicitiae quam oppressae esse videantur. Cavendum vero, ne etiam in graves inimicitias convertant se amicitiae: ex quibus iurgia, maledicta, contumeliae gignuntur. Quae tamen si tolerabiles erunt, ferendae sunt; et hic honos veteri amicitiae tribuendus, ut is in culpa sit, qui faciat, non is, qui patiatur iniuriam. Omnino omnium horum vitiorum atque incommodorum una cautio est atque una provisio, ut ne nimis cito diligere incipiant, neve non dignos.

---

§. 78. — ∾ om. *esse* post *oppr.* b. V. R. M. B. — *ex quibus* abc. E. Beda L. P. 3. G. B. — *incipiat* v. — *incipiamus* V. 1. 2.

ferendum; pertinet enim ad verbum *videantur.* — *quicum famil.*) *quicum* dicitur in communi sententia, tum inprimis in proverbiis. — *meo nomine*) i. e. mea causa cfr. Zumpt. Gr. c. 84. §. 679. fin. — *egit graviter*) i. e. ut gravem virum decet. — *non acerba*) i. e. non nimia.

§. 78. *exstinctae — quam oppressae*) Res *exstinguuntur* natura sua, *opprimuntur* vi. Similitudo ducitur ab igne; eaque usus est etiam in cap. 19. de Senectute: *Itaque adolescentes mori sic videntur, ut cum aquae multitudine vis flammae opprimitur: senes autem sicut sua sponte, nulla adhibita vi, consumtus ignis exstinguitur.* — *se amicitiae*) Beierus has voces ejiciendas censet. Quo facto omnis peribit sententiae vis oppositiva; tantum abest, ut cum V. D. structuram absurdam esse dicamus. — *jurgia, maledicta, contumeliae*) Gradatio sententiae. *Jurgium* enim levior quaedam est verborum certatio, etiam inter amicos et fratres; *maledicta* sunt, quae quis ira incensus in alterum jacit, *contumeliis* autem famae inimicorum nocere student. Cfr. de Rep. fr. IV: *si jurgant, benevolorum concertatio non lis inimicorum jurgium dicitur.* et pro Mur. 6: *Quare cum ista sis auctoritate, non debes, M. Cato, arripere maledictum ex trivio, aut ex scurrarum aliquo convivio; neque temere consulem populi Romani saltatorem vocare.* et de Orat. II, 55: *Sed ut in Scaevolam continuit ea Crassus, atque illo altero genere, in quo nulli aculei contumeliarum inerant, causam illam disputationemque lusit: sic in Bruto, quem oderat, et quem dignum contumelia judicabat, utroque genere pugnavit.* — *veteri amic.*) i. e. longo tempore usurpatae, non pristinae. — *ut is in culpa etc.*) Nam qui injuriam injuria non remuneratur, si-

79 Digni autem sunt amicitia, quibus in ipsis inest causa, cur diligantur. — Rarum genus! — Et quidem omnia praeclara rara nec quidquam difficilius quam reperire, quod sit omni ex parte in suo genere perfectum. Sed plerique neque in rebus humanis quidquam bonum norunt, nisi quod fructuosum sit; et amicos tamquam pecudes eos potissimum diligunt, ex qui-
80 bus sperant se maximum fructum esse capturos. Ita pulcher-

79. GENUS! ET —

---

§. 79. — *norunt bonum* a ∾ *boni norunt* Cdd. aliq. Hinc v. *bonum* B. []. — §. 80. — *Itaque* b. Beda. m. M. — *ipse a se* E. — *a se ipso* b. v. V. m. R. M. B. — Sic E. et C2d. Goer. ipso prob. B. — *transferatur* Ceteri.

gnificare videtur, tanti apud se esse veteris amicitiae memoriam, ut etiam injuria lacessitus deponere eam ac violare nolit. — *cautio provisio*) *cautus* dicitur, qui paratus est ad evitanda mala ventura, *providus*, qui ita agit, ita se gerit, ut ne sibi ipse incommoda contrahat. Cfr. Tusc. IV, 6: *a malis natura declinamus, quae declinatio, si ratione fit, cautio appellatur;* et Orat. 56: *inculcamus per imprudentiam saepe — versus; vitiosum genus et longa animi provisione fugiendum.* — *incipiant*) Ciceroni et antiquis omnibus admodum usitata est tertia Pluralis in sententia communi; Varro de Ling. Lat. IV: *Maximum aedificium est oppidum ab ope dictum; quod munitur opis causa, ubi sint.* Iterum: *Carcer a coërcendo; quod exire prohibentur.*

§. 79. *et quidem omnia*) Recte Beierus sic distinxit: — *Rarum genus!* — *Et quidem omnia* etc. „Particulae enim *et quidem* in responsione sunt confitentis sic, ut objectionem in suam rem trahat.“ Cfr. Fin. II, 25: *Sed quamvis omnis in amicitiis tuendis fuerit, tamen, si haec vera sunt,* (*nihil enim affirmo*) *non satis acutus fuit.* — *At multis se probavit.* — *Et quidem jure fortasse; sed tamen non gravissimum est testimonium multitudinis;* et leg. III, 10: *Dux enim suo se periculo progredi cogitat: populi impetus periculi rationem sui non habet.* — *At aliquando incenditur.* — *Et quidem saepe sedatur. Quod enim est tam desperatum collegium, in quo nemo e decem sana mente sit?* — *plerique*) vide, ne h. l. *plerique* idem sit, quod Graecorum οἱ πολλοι, *multitudo;* cfr. supra c. 10. §. 34. — *in rebus humanis*) i. e. in commodis vitae. cfr. c. 23. §. 87. et c. 27. §. 103. — *norunt*) i. e. in rebus humanis, quae est animi in istis caecitas, nihil, quod bonum expetendumque sit, inveniunt praeter utilitatem. — *fructuosum*) i. e. lucrosum. — *et am.*) insolentior quaedam structura *neque* — — *et.*

§. 80. *ita pulcherrima*) alii legunt *itaque*. Sed nihil mutandum; nam *ita* ursurpatur pro *itaque* i. e. *et ita* in oratione graviori. Cfr. Tusc. V. 23: *Immissi cum falcibus multi purgarunt et aperuerunt locum. Quo quum patefactus esset aditus, ad adversam basim accessimus. Appa-*

rima illa et maxime naturali carent amicitia per se et propter se expetenda, nec ipsi sibi exemplo sunt, haec vis amicitiae qualis et quanta sit. Ipse enim se quisque diligit, non ut aliquam a se ipso mercedem exigat caritatis suae, sed quod per se sibi quisque carus est. Quod nisi idem in amicitiam transferetur, verus amicus nunquam reperietur: est enim is quidem

80. A SE IPSE —

---

rebat epigramma, exesis posterioribus partibus versiculorum dimidiatis fere. Ita nobilissima Graeciae civitas, quondam vero etiam doctissima, sui civis unius acutissimi monumentum ignorasset, nisi ab homine Arpinate didicisset; et pro Quint. II: *Nam quid hoc iniquius, aut indignius, C. Aquilli, dici, aut commemorari potest, quam me, qui caput alterius, famam fortunasque defendam, priore loco causam dicere: quum praesertim Q. Hortensius, qui hoc judicio partes accusatoris obtinet, contra me sit dicturus, cui summam copiam facultatemque dicendi natura largita est. Ita fit, ut ego, qui tela depellere, et vulneribus mederi debeam, tum id facere cogar, quum etiam telum adversarius nullum jecerit.* — *per se et propter se*) Nam qui verum amicum adipisci volet, haec duo teneat, primum, ut se ipsum verum alteri amicum praestet, deinde ne propter utilitatem amicitiam petat. — *sibi ipsi exemplo sunt*) h. e. nec ipsi se intuentes et considerantes vident, quae sit vera amicitia. Nemo enim se amat propter utilitatem, sed per se ipsum. — *ipse enim*) *ipse* sequente Particula *enim* acuitur respicitque ad illud *ipsi* in antecedentibus. — *a se ipse*) Restituenda altera lectio *a se ipso;* sensus enim est: quemadmodum nemo a se ipso mercedem caritatis suae exigit, ita ne ab altero pretium amicitiae petat. Falsus autem est Gernhardus, qui: „Ut autem opposuerat *ipse* in *ipsum se quisque diligit*, ita in describenda diligendi causa Subjectum acuendum erat, non Objectum.“ Imo Objectum erat acuendum; nam ut in Antecedente *ipse enim se quisque diligit*, vis sententiae est in Subjecto i. e. in eo, qui diligit, ita in Antecedente vis est in Objecto i. e. in eo, qui diligitur, a quo eodem merces exigitur. — *caritatis suae*) i. e. *caritatis erga se.* Pronomen possessivum pro Genitivo objectivo Pronominis personalis; ut Caes. B. G. I, 4: *Orgetorix ad judicium omnem suam familiam, ad hominum millia decem, undique coëgit et omnes clientes obaeratosque s u o s, quorum magnum numerum habebat, eodem conduxit.* et Terent. Heaut. II, 2. 66:

mulier telam desinit,
Continuo et lacrumis opplet os totum sibi, ut
Facile scires, desiderio id fieri t u o.

Cfr. etiam supra §. 77: *ab amicitia Q. P. meo nomine etc.* et Zumpt. Gr. c. 73. §. 425. — *quod nisi idem etc.*) Miror in his duplex illud Homoeoteleuton: *transferetur, reperietur* — *quidem, idem.*

81 tamquam alter idem. Quod si hoc apparet in bestiis, volucribus, nantibus, agrestibus, cicuribus, feris: primum, ut se ipsae diligant — id enim pariter cum omni animante nascitur — deinde, ut requirant atque appetant, ad quas se applicent eiusdem generis animantes; idque faciunt cum desiderio et cum quadam similitudine amoris humani: quanto id magis in homine fit naturâ, qui et se ipse diligit et alterum anquirit, cuius animum ita cum suo misceat, ut efficiat paene unum ex duobus?

Capitt. XXII. XXIII.

Rursus autem hoc summae esse perversitatis ac stultitiae inquit, primum, talem habere velle amicum, qualis ipse esse nequeas, deinde existimare, libidinum peccatorumque patere in amicitia licentiam: in amicis autem eligendis maximam adhibere curam oportere

81. AGRESTIBUS, —

---

§. 81. — om. *cum.* 3. —

§. 81. *quod si hoc*) de tali usu Pronom. dem. cfr. supra c. 15. §. 54. — *in bestiis — — feris*) Cave haec cum Beiero ita distinguenda putes: *bestiis, volucribus; nantibus, agrestibus; cicuribus, feris.* Nam quid sint *bestiae volucribus* oppositae? Credo animalia terrestria. At tum quid ponere attinuit, *agrestibus*; nam *bestiae agrestes* sunt *terrestres*, quemadmodum et alibi *ager navigationi* vel *natationi* opponitur, ut de Rep. II, 4: *mercandi cupiditate et navigandi et agrorum et armorum cultum reliquerant.* Atque adeo, qui haerent in suis sedibus, *agrestes* usurpantur; opponitur igitur hoc vocabulum nostro loco et *volucribus* et *nantibus*. *Bestia* autem, ne quem lateat, ad omne animalium genus pertinet. Itaque distinguendum *bestiis*, (i. e.) *volucribus, nantibus, agrestibus; bestias agrestes* autem et *volucribus* et *nantibus* opponit, et tamquam genus inferius in duas classes dividit, in *cicures* et *feras*. Similem nostrae sententiam habes Tusc. V, 13: *Natura alias bestias nantes, aquarum incolas esse voluit; alias volucres caelo frui libero; serpentes quasdam; quasdam esse gradientes; earum ipsarum partim solivagas, partim congregatas; immanes alias quasdam aut cicures; nonnullas abditas terraque tectas.* — *id enim pariter cum etc.*) i. e. hic appetitus et amor sui non minus neque sequius omni animanti a natura tributus est, quam vita ipsa. — *atque appetant*) sc. conjunctionis causa. — *unum ex duobus*) ut Hom. Il. 219: Πάτροκλός τε καὶ Αὐτομέδων ἕνα θυμὸν ἔχοντες; item Pers. Sat. V. 53: *Nescio quid certe est, quod me tibi temperat, astrum.*

vel propterea, quod sola amicitia ea res sit, quae quanti sit aestimanda, inter omnes homines constet, quae per omnium vitas ita serpat, ut natura nihil solitarium amare videatur; de quo quidem Timonis Atheniensis exemplum et dictum Archytae Tarentini affert.

XXII. Sed plerique perverse, ne dicam impudenter, 82
amicum habere talem volunt, quales ipsi esse non possunt: quaeque ipsi non tribuunt amicis, haec ab iis desiderant. Par est autem, primum ipsum esse virum bonum, tum alterum similem sui quaerere. In talibus ea, quam iamdudum tractamus, stabilitas amicitiae, confirmari potest: quum homines benevolentia coniuncti primum cupiditatibus iis, quibus ceteri ser-

---

§. 82. — *inter se* E. V. L. P. 3. G. B. = *inter se col.* a. — *colent se inter se* v. m. R. M. — *se col. inter se* c. 1. 2.

C. XXII. §. 82. *in talibus*) sc. viris bonis. — *quum hom. benevolentia — — verebuntur*) attende Gradationem tribus membris confectam. — *aequitate justitiaque*) *justum* est, quod ex lege descendit, *aequum* vero, quod ex natura. Popma p. 427. *Aequitas* autem h. l. est clementia, vel amor generis humani, opponiturque intemperantiae. Cfr. Nep. Arist. II, 2: *Neque aliud est ullum hujus in re militari illustre factum, quam hujus imperii memoria: justitiae vero et aequitatis et innocentiae multa: in primis, quod ejus aequitate factum est, quum in communi classe esset Graeciae simul cum Pausania, quo duce Mardonius erat fugatus, ut summa imperii maritimi ab Lacedaemoniis transferretur ad Athenienses;* et Rep. I, 2: *Unde enim pietas? aut a quibus religio? unde jus aut gentium, aut hoc ipsum civile quod dicitur? unde justitia, fides, aequitas? unde pudor, continentia, fuga turpitudinis, appetentia laudis et honestatis? — omniaq. alter — postulabit*). omnia alter pro altero suscipiet, quia videlicet sic facere *aequitatis* est; neque alter ab altero inhonestum postulabit, nimirum ne violetur *justitia*. — *colent inter se*) *inter se*, *inter nos* etc. scriptores Lat. non raro ita usurpant, ut sit pro *invicem*, vel *alter alterum*, ut ad Att. XIII, 11: *posthac enim poterimus commodius colere inter nos in Tusculano.* Ibid. VI, 1. med.: *Ciceronis pueri amant inter se, discunt, exercentur;* et Nep. Dion. IV, 1: *navem ei triremem dedit, qua Corinthum deveheretur: ostendens, se id utriusque facere causa; ne, quum inter se timerent, alteruter alterum praeoccuparet.;* Ter. Adelph. V, 3. 42: *video eos sapere, intelligere in loco, vereri, inter se amare.* — *ornamentum*) non *decus* h. l. est sed *adjumentum*, ut Nep. Dion. II, 1: *Neque vero haec Dionysium fugiebant. Nam quanto esset sibi ornamento,* sentiebat, et pro Sext. 51: *An, sicubi aderit Gellius, homo et fratre indignus, viro clarissimo, [atque optimo consule] et ordine equestri, cujus ille ordinis nomen retinet, ornamenta confecit; id erit populare?* etc.

viunt, imperabunt; deinde aequitate iustitiaque gaudebunt, om-
niaque alter pro altero suscipiet, neque quidquam unquam
nisi honestum et rectum alter ab altero postulabit; neque so-
lum colent inter se ac diligent, sed etiam verebuntur. Nam
maximum ornamentum amicitiae tollit, qui ex ea tollit vere-
83 cundiam. Itaque in iis perniciosus est error, qui existimant,
libidinum peccatorumque omnium patere in amicitia licentiam.
Virtutum amicitia adiutrix a natura data est, non vitiorum
comes, ut, quoniam solitaria non posset virtus ad ea, quae
summa sunt, pervenire, coniuncta et consociata cum altera
perveniret. Quae si quos inter societas aut est aut fuit aut
futura est, eorum est habendus ad summum naturae bonum
84 optimus beatissimusque comitatus. Haec est, inquam, societas,

---

§. 83. — *virt. enim* v. m. M. L. — §. 84. *ut et.* g. E. L. P. (prob. Goer.) B. — om. *et* Ceteri. — *nec am.* b. E. Beda P. B. — *neque* Ceteri. — v. *denique* B. [ ]. Mox : .— *sentiant* v.

§. 83. *virtutum, vitiorum*) *virtutes* h. l. de bona hominis indole „*vitia*" de mala, ut Parad. III, 1: *Atqui quoniam pares virtutes sunt: recte facta, quando a virtutibus proficiscuntur, paria esse debent: itemque peccata, quoniam ex vitiis manant, sint aequalia necesse est.* — *conjuncta et consociata*) *conjuncti* sumus cum altero natura vel officio, *consociati* voluntate et consilio. Cfr. Fin. III, 20: *Quemadmodum igitur membris utimur prius, quam didicimus, cujus ea utilitatis habeamus: sic inter nos natura ad civilem communitatem conjuncti et consociati sumus.* De re audiendus Hom. Il. K. 224:

σύν τε δύ' ἐρχομένω, καί τε πρὸ ὃ τοῦ ἐνόησεν,
ὅππως κέρδος ἔῃ· μοῦνος δ' εἴπερ τε νοήσῃ
ἀλλά τέ οἱ βράσσων τε νόος, λεπτὴ δέ τε μῆτις.

si quos inter) Observanda Praepositionis inversio; nam Relativis Praepositiones dissyllabae solent postponi. Cfr. Zumpt. Gr. c. 65. §. 324. — *aut est, aut fuit, aut fut.*) de Particula *aut* cfr. supra c. 20. §. 71. — *est habendus*) i. e. putandus atque observandus est. — *summum naturae bonum*) i. e. finis bonorum. — *optimus beatissimusque*) *optima* res est perfecta atque omnibus numeris absoluta; *beatus* autem dicitur, qui suis rebus contentus est.

§. 84. *haec est, inquam*) *inquam* h. l. graviter ponitur, ut in Repetitione. cfr. infra c. 27. init. — *ut et, quum haec etc.*) *et* ante *quum*, quod vulgo abest in libris, vix ferri potest, ut recte monuit Gernhardus; nam illud *et*, quod sequitur in oppositione, pro *sed* positum est, cfr. supra c. 8. §. 26, neque, quod equidem sciam, exempla suppetunt hujus Conjunctionis in tali oppositionis genere duplicatae. Offensi autem, ni fallor, in voculis *et non* pro *nec* istud *et* inseruerunt V. D. Debebat autem

in qua omnia insunt, quae putant homines expetenda, honestas, gloria, tranquillitas animi atque iucunditas: ut, quum haec adsint, beata vita sit, et sine his esse non possit. Quod quum optimum maximumque sit, si id volumus adipisci, virtuti opera danda est, sine qua nec amicitiam neque ullam rem expetendam consequi possumus: ea vero neglecta qui se amicos habere arbitrantur, tum se denique errasse sentiunt, quum eos gravis aliquis casus experiri cogit. Quocirca, — dicendum est 85
enim saepius — quum iudicaveris, diligere oportet; non, quum dilexeris, iudicare. Sed quum multis in rebus negligentia plectimur, tum maxime in amicis et deligendis et colendis: praeposteris enim utimur consiliis et acta agimus, quod vetamur veteri proverbio. Nam implicati ultro et citro vel usu diuturno vel etiam officiis repente in medio cursu amicitias, exorta aliqua offensione, dirumpimus.

84. UT, ET QUUM — 86. VETERE —

---

§. 85. — *vetere* E. V. L. P. — *veteri* Cet. ∾ *ultro* [*et*] *citro* B.

et non pro *sed non* positum nihil habere offensionis. Cfr. Senec. Ep. 3: *Isti vero praepostere officia permiscent, qui contra praecepta Theophrasti, quum amaverint, judicant, et non amant, quum judicaverint.* — *adipisci — consequi*) rem *adipisci* dicimus cum respectu difficultatum atque impedimentorum; *consequi* autem, quum nihil nisi hoc significatum volumus, rem expetenti contingere vel contigisse. Cfr. Quint. frat. I, 1: *nos ea, quae consecuti sumus, his studiis et artibus adepti sumus.* — *tum se denique*) *denique* Beierus uncis includit. Sed nihil mutandum; est enim, ut passim, pro *demum* Fam. IX, 14: *Quis erat, qui putaret, ad eum amorem, quem erga te habebam, posse aliquid accedere? tantum accessit, ut mihi nunc denique amare videar, antea dilexisse.*

§. 85. *acta agimus*) a judiciorum consuetudine sumptum, qua fas non est iterum agere causam, de qua jam sit pronunciatum. Quum autem lis agenda sit ante judicis sententiam, is praepostere faciat, qui post sententiam i. e. lite jam acta, litem agere velit. Cfr. Ter. Adelph. II, 2. 23:

Ni eo ad mercatum venio, damnum maxumum est.
Nunc si hoc omitto, ubi illinc rediero, actum agam.

vetere) Lectio vulgata *veteri*; quam servandam esse censeo, arridentem insuper auri, cui nimirum in illa Ablativorum terminatione aliquid est concedendum.

86 XXIII. Quo etiam magis vituperanda est rei maxime necessariae tanta incuria: una est enim amicitia in rebus humanis, de cuius utilitate omnes uno ore consentiunt. Quam quam a multis ipsa virtus contemnitur et venditatio quaedam atque ostentatio esse dicitur! Multi divitias despiciunt, quos parvo contentos tenuis victus cultusque delectat; honores vero, quorum cupiditate quidam inflammantur, quam multi ita contemnunt, ut nihil inanius, nihil esse levius existiment! Itemque cetera, quae quibusdam admirabilia videntur, permulti sunt, qui pro nihilo putent. De amicitia omnes ad unum idem sentiunt, et ii, qui ad rem publicam se contulerunt, et ii, qui rerum cognitione doctrinaque delectantur, et ii, qui suum negotium gerunt otiosi, postremo ii, qui se totos tradiderunt voluptatibus, sine amicitia vitam esse nullam, si modo velint

86. INCURIA. UNA — QUAMQUAM —

---

§. 86. — *namque a mult.* pro *quamq.* L. P. — *Itemque* abc. E. m. R. M. Grut. Seqq. — *Item* v. V. L. P.

C. XXIII. §. 86. *Quo etiam magis etc.)* Constituunt haec protasin ad sequentia *una est enim amicitia* etc., ut apud Graecos: *Ὅθεν καὶ — γὰρ —;* cfr. Isocrat. Evag. 5: *Ὅθεν καὶ μάλιστ᾽ ἄν τις καὶ τὴν φύσιν τὴν ἐκείνου καὶ τὴν δόξαν, ἣν εἶχε παρὰ τοῖς ἄλλοις θεωρήσειεν· μέλλων τε γὰρ πλεῖν μετὰ τοσούτων ἐπὶ τηΐ. — — οὔτ᾽ ἐκεῖνος ἠθύμησεν, οὔτε κ. τ. λ.* Distinguendum igitur: *Quo etiam magis vituperanda rei maxime necessariae tanta incuria: una est enim amicitia* etc. — *Quamquam a multis ipsa cont.)* *quamquam* h. l. neque absolute accipi potest, et inepte cum praecedentibus junxeris, ut sal. quidam volunt. Locus, ni fallor, sanandus est lenissima medela, si Particulam *Quamquam* in has duas voculas diviseris *Quam quam*, ut primum *quam* ad totam sententiam, id est, ad *contemnitur*, alterum ad voces *a multis* referas. Saepe autem scriptores in sententiis, quibus dictorum ratio reddatur, Exclamationis figura uti, notum est. Pariter paulo infra noster dixit: *quam multi ita contemnunt* etc. — *venditatio — atque ostentatio)* Qui virtutem suam *venditat*, virtute quidem is praeditus est, sed plausum aliorum tamquam pretium virtutis captat; qui virtutem *ostentat*, virtutem vel simulat, vel majorem fingit, quam oportet. Cfr. Tusc. liber II, c. 26: *Hoc igitur tibi propone: amplitudinem* [animi] *et quasi quandam exaggerationem quam altissimam animi, quae maxime eminet contemnendis et despiciendis doloribus, unam esse omnium rem pulcherrimam, eoque pulchriorem, si vacet populo, neque plausum captans, se tantum ipsa delectet. Quin etiam mihi quidem laudabiliora videntur omnia, quae sine* v e n d i t a t i o n e *et sine populo teste fiunt.* Off. II, 12: *Si qui simulatione et inani*

aliqua ex parte liberaliter vivere. Serpit enim, nescio quomodo, per omnium vitas amicitia, nec ullam aetatis degendae 87

§. 87. — *vitam* v. V. m. R. M. — v. *fuisse* post *qual.* B. []. — *acquirat* abc. E. v. m. R. M. L. Ut Orell., jam V.

ostentatione et ficto non modo sermone sed etiam vultu stabilem se gloriam consequi posse rentur, vehementer errant. et Fin. II, 24: *Verba tu fingas et ea dicas, quae non sentias, aut etiam, ut vestitum, sic sententiam habeas aliam domesticam, aliam forensem; ut in fronte ostentatio sit, intus veritas occultetur?* — *quidam infl.)* de significatione voculae *quidam* cfr. Zumpt. Gr. c. 84. §. 707. — *inanius — levius*) *inane* dicitur, quod nihil habet in se jucunditatis ac fructus; *leve* i. e. despiciendum ac pro nihilo putandum. — *omnes ad unum*) i. e. nullo excepto; in qua quidem formula *omnes* abesse salvo sensu poterat; ut Fam. 10. 16: *ego eam sententiam dixi, cui sunt assensi ad unum.* — *se contulerunt*) Perfectum tempus h. l., ut paulo infra *tradiderunt*, pro Praes. ponitur, ut actio sive conditio quaedam, in qua quis media versatur, ei tamquam propria attribuatur, ne initium tantum actionis vel conditionis spectari putes. Cfr. quae supra diximus ad c. 9. §. 32.; quibus haec adde Virg. Ecl. I, 25:

Verum haec tantum alias inter caput extulit urbis,
Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

et ibid. V, 6:

Adspice, ut antrum
Silvestris raris sparsit labrusca racemis.

cognitione doctrinaque) Rerum cognitio, rerum ipsarum contemplatione paratur, doctrina institutione: Cfr. Off. I, 45: *cognitio contemplatioque naturae manca quodammodo atque inchoata sit, si nulla actio rerum consequatur.* Mur. 30: *fatebor, me quoque in adolescentia, diffisum ingenio meo, quaesivisse adjumenta doctrinae.* cfr. supra II, §. 6. — *suum negotium — otiosi*) *otiosi* sunt a negotiis publicis remoti; *suum negotium* autem dixit, ut Off. I, 9: *Sunt etiam, qui aut studio rei familiaris tuendae, aut odio quodam hominum suum se negotium agere dicant.* — *postremo ii*) notandum et trigeminum ante *postremo* pro Conjunctionibus ordinativis *primum — deinde — tum*, ut apud Quinctil. inst. Orat. II, 15. — *vitam esse nullam*) i. e. insuavem; cfr. supra c. 6. §. 22. — *liberaliter*) i. e. *benigne*, ut homine libero dignum est.

§. 87. *Quin etiam si*) Particulam *etiam* non ad *Quin* revocandam, sed cum sequente *si* jungendam puta; quod ni facias, inepte jungas oportet: *Quin etiam — tamen is;* quum illud ipsum *tamen* satis protasim indicet adversativam, ab *etiamsi* incipientem. — *asperitate et immanitate*) i. e. morositate et feritate, per figuram Gradationis cfr. Nep. Att. V, 1: *Habebat avunculum L. Caecilium, equitem Romanum, familiarem L. Luculli, divitem, difficillima natura: cujus sic asperitatem veritus est, ut, quem nemo ferre posset, hujus sine offensione ad summam senectutem retinuerit benevolentiam.* — *fugiat atque oderit*) Gradatio, nam *oderit* est *aspernetur*, ut μισάνθρωπος. — *nescio quem*)

rationem patitur esse expertem sui. Quin, etiamsi quis ea asperitate est et immanitate naturae, congressus ut hominum fugiat atque oderit, qualem fuisse Athenis Timonem nescio quem accepimus; tamen is pati non possit, ut non acquirat aliquem, apud quem evomat virus acerbitatis suae. Atque hoc maxime iudicaretur, si quid tale posset contingere, ut aliquis nos deus ex hac hominum frequentia tolleret et in solitudine uspiam collocaret, atque ibi suppeditans omnium rerum, quas natura desiderat, abundantiam et copiam, hominis omnino ad-
88 spiciendi potestatem eriperet. Quis tam esset ferreus, qui eam vitam ferre posset, cuique non auferret fructum voluptatum omnium solitudo? Verum ergo illud est, quod, a Tarentino Archyta, ut opinor, dici solitum, nostros senes comme-

87. QUIN ETIAM. — ANQUIRAT —

---

§. 88. — *aliquid* pro *aliquod adm.* v. V. R. L. P. — om. *tamquam* E. prob. Wundero. Recte etiam Beierus retinuit. Solet enim Tullius, quam maxime potest, ubivis mitigare metaphoras. Hinc supra §. 76. *quasi quaedam calamitas.* Talia autem libenter omittunt librarii. Orell.

i. e. quendam. cfr. Zumpt. Gr. c. 78. §. 553. — *pati non possit*) Conjunctivus modestiae. cfr. Zumpt. Gr. c. 78. §. 527. — *anquirat aliq.*) *anquirat* male receperunt editores nuperrimi pro *acquirat;* quae lectio tantum abest, ut sit vitiosa, ut perelegans debeat videri. *Acquirat* enim dicere maluit scriptor, ut significaret importunitatem talis cujus Timonis, qui alterum invitum tenet, dum virus acerbitatis suae evomuerit. Compara Horatium de malo poëta idem querentem, Art. poët. extr.

Quem vero arripuit, tenet occiditque legendo,
Non missura cutem nisi plena cruoris hirudo.

Quid quod *anquirat* vix ferri potest; quae vox ita plerumque usurpetur, ut sit, certam aliquam rem vel personam, quae tibi conveniat, eligere, cfr. supra c. 21. §. 81, et infra c. 24. init. — *atque hoc*) de significatione Part. *atque* cfr. supra c. 15. §. 54. — *et copiam*) i. e. potestatem utendi abundantia.

§. 88. *ferreus, qui ferre posset, cuique non auferret*) Alliteratio insignior, de qua figura jam passim in hoc libro monitum est. Huc adde Tib. Eleg.: *Quam ferus, et vere ferreus ille fuit.* Nep. Att. c. 17. *ita percepta habuit praecepta* et Ter. Andr. I, 3. 13. *Nam inceptio est amentium, haud amantium.* Verr. III, 88: *in ea re praedari praetorem*, et ap. Quint. inst. Liber IX, 3: *a oratore arator*, et Parad. II, *omnem orbem terrarum unam urbem esse ducunt.* Pertinet autem Alli-

morare audivi ab aliis senibus auditum: *Si quis in caelum adscendisset naturamque mundi et pulchritudinem siderum perspexisset, insuavem illam admirationem ei fore quae iucundissima fuisset, si aliquem, cui narraret, habuisset.* Sic natura solitarium nihil amat, semperque ad aliquod tamquam adminiculum annititur; quod in amicissimo quoque dulcissimum est.

Capitt. XXIV. XXV. XXVI.

Fidem denique ac veritatem in amicitia eo usque coli jubet, ut amici de ipsorum peccatis et moneantur a nobis et objurgentur, in quo quidem et omnem acerbitatem contumeliamque vitandam objurganti dicit, neque objurgato moleste ferendum; de qua re Catonis sententiam laudat. Deinde adulationem, fallaciam, assentationem ab amicitia longe abesse monet. Quod quum aperte adulantibus leviores tantum homines, qui virtute praediti videri quam esse malint, aures patefaciant, admonendos tamen graviores etiam constantioresque viros, ne callida assentatione capi se neve illudi patiantur.

XXIV. Sed quum tot signis eadem natura declaret, quid velit, anquirat, desideret: obsurdescimus tamen nescio

---

§. 88. — om. *natura* unus E. prob. Wundero. cui hic tandem aures teratio sive Paronomasia, Oxymorum, Homoeoteleuton, omninoque omne hoc figurarum genus, quod aut similitudine aliqua vocum, aut paribus aut contrariis aures pellit animosque excitat, ad antiquam illam orationis sermonisque festivitatem ac saporem vernaculum Romanorum; atque in primis his festivitatibus delectata est antiquior aetas Catonis, Laelii, Scipionis. Cfr. Cic. Orat. 50: *Non erat hoc apud antiquos. Et quidem nihil aliud fere non erat; nam et verba eligebant, et sententias graves et suaves reperiebant, sed eas aut vinciebant, aut explebant parum.* Adi. nostri epistolam ad Paet. IX, 15. — *fructum*) cfr. supra c. 19. §. 70. — *pulchritudinem sid.*) i. e. magnificentiam adspectus. N. D. II. 6: *An vero, si domum magnam pulchramque videris, non possis adduci, ut, etiam si dominum non videas, muribus illam et mustelis aedificatam putes: tantum [vero] ornatum mundi, tantam varietatem pulchritudinemque rerum coelestium, tantam vim et magnitudinem maris atque terrarum, si tuum, ac non deorum immortalium domicilium putes, nonne plane desipere videare?* — *si aliquem*) i. e. quisquis vel qualiscunque ille fuisset; cfr. supra c. 8. §. 27. — *natura solitarium etc.*) „Quia tendit ad unum. Id apparet etiam in bestiis, quae cum suo genere congregantur: atque adeo etiam in plantis, quae adminicula quaerunt.

C. XXIV. §. 88. *anquirat* de

quomodo, nec ea, quae ab ea monemur, audimus. Est enim varius et multiplex usus amicitiae, multaeque causae suspicionum offensionumque dantur; quas tum evitare tum elevare tum ferre sapientis est. Una illa sublevanda offensio est, ut et veritas in amicitia et fides retineatur: nam et monendi amici saepe sunt, et obiurgandi, et haec accipienda amice, quum

---

praebuit B. delens. — v. *natura*, quod tamen consulto, quo magis hominum eam non audientium eluceret perversitas, hic iterasse censendus est Tullius. Orell. — *tamen obs.* bc. E. prob. Goer. ∾ om. *tamen* a. del. B. — *subeunda* Facc. —

desideret) *anquirimus*, quae sunt naturae congrua, *desideramus* absentia. Cfr. Off. I, 4: *Principio generi animantium omni est a natura tributum, ut se, vitam corpusque tueatur, declinetque ea, quae nocitura videantur, omniaque, quae ad vivendum sunt necessaria, anquirat et paret, ut pastum, ut latibula, ut alia generis ejusdem.* et Verr. IV, 44: *nec quidquam ex eo fano praeter unum perparvulum signum ex aere desideratum est.* — *obsurdescimus*) eleganter Verbo usus est inchoativo. Sensus enim: quamquam natura tam clara voce, quid velit, clamat, tamen eam non audimus, atque aures nostrae tamquam oppletae hac vociferatione obsurdescunt etiam. Possis igitur statuere h. l. Hysteron — Proteron excidisse scriptori pro *tamen ea, quae ab ea monemur, non audimus, atque etiam nescio quomodo obsurdescimus.* Ceterum nescio an illud *tamen* melius abesse debeat, ut deest in aliquot libris. — *est enim*) *enim* h. l. pro *nempe* positum est ad novam sententiam introducendam. Nexus autem est: quamquam tanta est in amicitia vis naturae, ut nemo velit esse solitarius, atque alter in altero acquiescere, ab eoque adjuvari: tamen hunc quidem usum amicitiae, ut alterum corrigamus, sicque ei quodammodo adminiculo simus, solemus negligere. — *varius et multiplex*) *varius* usus amicitiae est, quae non solum consentiendo, sed etiam adversando prosit amicis; *multiplex*, quia non uno sed multis diversisque modis et rationibus utilis esse potest. — *multaeque causae*) *causae dantur* h. l. dixit ut supra c. 16. §. 59: *ansas dare*; est igitur causa justa ad accusandum, ut Att. VII, 3: *causam illa causa non habet.* — *quas tum evitare, tum etc.*) i. e. quarum causarum alias *evitare*, i. e. non animadvertere, alias *elevare* i. e. animadversas minuere, alias *ferre*, quae quidem excusari nequeant, sapientis est. Ceterum haec *multae caus.* — — *sapientis est* obiter tantum dixit, ut nexus sit cum sententia sequenti. — *una illa sublev. off.*) haec contractius pro: „Omnino quidem offensiones in amicitia sunt vitandae; illa autem offensio, quam fortassis habere possit admonitio amicorum atque objurgatio, suscipienda est illa quidem, sed monendi lenitate et benevolentia sublevanda.“ Suscipienda autem est, ne officium *veritatis*, quae amico debetur, neve *fides*, quam nobis habet amicus, deseratur.

benevole fiunt. Sed nescio quomodo verum est, quod in Andria familiaris meus dicit: 89

Obsequium amicos, veritas odium parit.

Molesta veritas, si quidem ex ea nascitur odium, quod est venenum amicitiae; sed obsequium multo molestius, quod pec-

---

§. 89. — *ut obj.* abc. E. v. V. R. P. B. — om. *ut* m. M. L. 3. 1. 2. G. — Sanissimum hoc est voc. *comitas* satis firmatum a Cdd. (abc. E. a. pr. m.) Sententia est: „eo autem fine coërceri debet obsequium, ut quod dicas faciasque, comitas rite appellari possit: nunquam autem progrediatur ad assentationem vitiosam.“ „Comitas utique adsit“, non insit, dicit: nec in tota sententia quidquam inest absurdi. Haesit in hoc librariorum stupor. Orell.

§. 89. *nescio quomodo*) i. e. *eheu* cfr. supra h. c. init. — *familiaris meus*) i. e. Terentius. *Familiaris* autem est, ut ita dicam, amicus domesticus, qui est in familiam receptus. — *molesta veritas*) i. e. odiosa, odium parens. — *quod peccatis*) *quod* non pro Conjunctione habendum; Neutrum est Pronom. relativ., referendumque ad *obsequium*. *Obsequium* enim vocabulum medium est, neque aliter hoc quoque loco accipiendum. Cfr. ad Att. X, 4: *omne meum obsequium in illum fuit cum multa severitate: neque unum ejus, nec parvum, sed multa magna delicta compressi;* et pro Coel. VI: *illa vero, judices, in illo homine mirabilia fuerunt, comprehendere multos amicitia, mereri obsequio, cum omnibus communicare, quod habebat, servire temporibus suorum omnium pecunia, gratia, labore corporis, scelere etiam, si opus esset, et audacia.* Est igitur sensus: *Multo molestius est ejusmodi obsequium, quod — — sinit etc.* Conjunctivo autem non opus est, cujus notionem involvat ipsa vocis *sinit* significatio. — *qui et veritatem asp., et in fr. — impellitur)* Male hunc locum interpretantur interpretes sic: Max. culpa in eo est, qui et veritatem audire non vult et obsequio eo impellitur, ut se jure laudari putet, quo vitia adjuvantur; qui primus est, ut ait Gernhardus, assentationis eventus. Sed haec quidem interpretatio falsissima est; quamquam id non infitior, verbis ipsis hunc inesse posse sensum; at nunc his non erat locus. Toto paragrapho 89. Laelius de officio agit ejus, cui in amicitia partes correctoris atque admonitoris datae sunt; deinde a §. 90. usque ad finem de eo, qui est admonendus corrigendusque amicus. Noster igitur locus sic est interpretandus: Maxima autem culpa in eo est, qui officium veritatis admonitionisque sibi imponi gravatus recusat (*qui veritatem aspernatur*) et nimio obsequendi studio se impelli sinit, ut amicum peccantem assentatione fallat (*et in fraudem obsequio impellitur*). De significatione autem verb. *aspernari* Cfr. ad Att. XV, 12: *Cassius frumentariam rem aspernabatur; eam Servilia sublaturam ex S. C. se esse dicebat.* et pro Rosc. Am. 53: *hanc* (proscriptionem) *vero, quae ad eorum liberos, atque infantium puerorum incunabula pertinet, nisi hoc judicio a vobis rejicitis, et aspernamini, videte, per deos immortales, quem in locum rempublicam perventuram putetis.* Vocabulum *fraus* pro *fallacia* vel *men-*

catis indulgens praecipitem amicum ferri sinit. Maxima autem culpa in eo est, qui et veritatem aspernatur et in fraudem obsequio impellitur. Omnis igitur hac in re habenda ratio et diligentia est: primum, ut monitio acerbitate, deinde ut obiurgatio contumelia careat. In obsequio autem — quoniam Terentiano verbo lubenter utimur — comitas adsit; assentatio, vitiorum adiutrix, procul amoveatur, quae non modo amico, sed ne libero quidem digna est: aliter enim cum tyranno, aliter cum amico vivitur. Cuius autem aures veritati ita clausae

90. VERITATI CL.

---

§. 90. — *correct.* abc/ V. 3. Seqq.; *corruptione* v. — *objurgatione* m. R. M. L. P.

dacio positum nemo, opinor, mirabitur. Senties jam, qui sit sententiarum nexus. Verba enim *maxima autem — — impellitur* rationem reddunt, cur in superioribus dictum fuerit, obsequium majus parere odium i. e. *molestius esse*, quam veritatem. Obsequium dicit in fraudem te inducit, fraus autem odio majore digna est; cfr. Off. I, 13: *utrumque homine alienissimum, sed f r a u s odio digna majore. Autem* nostro loco pro *enim* usurpatur. Cfr. supra c. 1. §. 1. — *omnis igitur*) *igitur* h. l. est pro *inquam.* Cfr. Zumpt. Gr. c. 84. §. 736; respicit enim Laelius jam ad ea, quae supra dixit: *una illa sublevanda offensio;* et quod postea: *haec accipienda amice, cum benevole fiunt;* praecipitque, quid in hoc officio recte agatur, postquam, quid male omittas, docuit. — *habenda ratio et dilig.*) Notandum hoc Zeugma; non potest enim dici *diligentiam habere* sed *adhibere* cfr. Caes. Bell. Civ. I, 77: *Centuriones i n a m p l i o r e s o r d i n e s; Equites Romanos in t r i b u n i t i u m r e s t i t u i t h o n o r e m.* et Ibid. II, 18: *qui v e r b a atque o r a t i o n e m adversus rempublicam h a b u i s s e n t, eorum bona in publicum addicebat;* et Nep. Alcib. III, 5: *Itaque non solum s p e m in eo h a b e b a n t m a x i m a m, sed etiam t i m o r e m.* Ibid. Thras. IV, 1. His adde Liv. XXI, 34: *ibi non b e l l o a p e r t o, sed suis artibus, f r a u d e, deinde i n s i d i i s est prope c i r c u m v e n t u s.* — *objurgatio, contumelia*) cfr. supra c. 21. §. 78. — *Terentiano verbo*) „Terentianum verbum appellat *obsequium,* non quasi primum eo usum esse Terentium crediderit, ut Donatus ad illum locum putavit, sed quod illud verbum in versiculo Terentii l. l. positum erat." — *comitas adsit*) cfr. Orellium in Var. lect. et nos, quae paullo ante de voc. *obsequium* diximus. — *non modo — sed ne — quidem*) Cfr. Zumpt. Gr. c. 84. §. 726. — *aliter enim cum tyr.*) haec cum respectu antecedentium; sensus enim: cum liberum hominem dedeceat adulari tyrannum, quanto turpius est amico, a quo nihil timendum, assentari, et non adversus hunc animi sensa libere dicere et audacter.

§. 90. *veritati clausae*) Alii leg. *ita clausae veritati sunt.* Nisi Tau-

sunt, ut ab amico verum audire nequeat, huius salus desperanda est. Scitum est enim illud Catonis, ut multa: *melius de quibusdam acerbos inimicos mereri, quam eos amicos, qui dulces videantur: illos verum saepe dicere, hos nunquam.* Atque illud absurdum est, quod ii, qui monentur, eam molestiam, quam debent capere, non capiunt; eam capiunt, qua debent vacare. Peccasse enim se non anguntur; obiurgari moleste ferunt: quod contra oportebat delicto dolere, correctione gaudere.

XXV. Ut igitur et monere et moneri proprium est 91
verae amicitiae, et alterum libere facere, non aspere, alterum patienter accipere, non repugnanter; sic habendum est, nullam in amicitiis pestem esse maiorem quam adulationem, blanditiam, assentationem. Quamvis enim multis nominibus est hoc vitium notandum levium hominum atque fallacium, ad voluntatem do-

---

tologiâ admodum putida hunc locum velimus inquinari, Partic. *ita*, quam inter voces *veritati clausae* facile excidere potuisse aut ejici nemo non videt, restituenda est, ut sensus sit: Male quidem res se habet, si omnino hominis aures veritati clausae sunt; sed cujus aures veritati ita clausae sunt, ut ab ipso amico verum audire nequeat, hujus salus plane desperanda est. Nam acuitur vox *amico* principem locum sortita. — *Scitum est*) vide ne satius sit cum Beiero legere *scitum enim illud:* etc. cfr. supra c. 19. §. 67. — *qua debent — — vacare*) Noli praeterire harum sententiolarum concinnitatem. — *quod contra oport.*) i. e. *contra quod oportebat*, per anastrophen Praepositionis ut Cat. c. 23. §. 84: *cujus a me corpus crematum est, quod contra decuit ab illo meo.* Cfr. etiam supra c. 22. §. 83. — *delicto dolere, correctione gaudere*) Haec quidem non sine Alliteratione, eademque similiter cadentia.

§. 91. *adulationem, bland., ass.*) *adulatio* fit gestu, *blanditia* re vel moribus, *assentatio* verbis. — *quamvis enim multis*) *quamvis* non est Conjunctio h. l. sed pro Adverbio *admodum* conjungitur Numerali *multis* cfr. supra c. 20. §. 73. — *notandum*) i. e. *reprehendendum*, translata significatione a nota censoria cfr. Phil. XIV, 8: *Sed, quod tum non licuit, patres conscripti, id hoc tempore non solum licet, verum etiam necesse est, eos, qui re sunt hostes, verbis notare, sententiis nostris hostes judicare.* et Caes. Bell. Civ. I, 7: *Novum in republica introductum exemplum queritur, ut tribunitia intercessio armis notaretur atque opprimeretur.*

92 quentium omnia, nihil ad veritatem. Quum autem omnium rerum simulatio est vitiosa — tollit enim iudicium veri idque adulterat — tum amicitiae repugnat maxime: delet enim veritatem, sine qua nomen amicitiae valere non potest. Nam quum amicitiae vis sit in eo, ut unus quasi animus fiat ex pluribus: quî id fieri poterit, si ne in uno quidem quoque unus animus erit idemque semper, sed varius, commutabilis, multiplex?
93 Quid enim potest esse tam flexibile, tam devium, quam animus eius, qui ad alterius non modo sensum ac voluntatem, sed etiam vultum atque nutum convertitur?

---

§. 92. — om. *quoque* Cdd. aliq. Ed. Antv. 1571. B. — §. 93. — *tenerum* pro *devium* de Graevii susp. Sch. 2. ∾ *in* pro *sub* abc. E. cum plerisq. Cdd. v. P.

§. 92. *omnium rerum sim.)* Similem locum habemus apud nostrum Cat. c. 2. §. 4: *Saepe numero admirari soleo cum hoc Laelio, tum ceterarum rerum tuam excellentem, M. Cato, perfectamque sapientiam, tum vel maxime, quod nunquam senectutem tibi gravem esse senserim.* Quo in loco nescio an recipienda sit altera lectio *cum ceter. rer.* — *sine qua nomen*) i. e. nomen inane, nulla re subjecta. — *unus quasi animus*) ut Aristot. ap. Diog. Laërt. V, 20. pr. *τί ἐστι φίλος; Μία ψυχὴ δύο σώμασιν ἐνοικοῦσα.* — *quî id fieri)* Solet *quî* pro *quo* stare cum verbo *fieri*, ut Horat. Sat. I, 1. 1:

Quî fit, Maecenas, ut nemo,
quam sibi sortem etc.

Fin. II, 4:

quî fit, ut ego nesciam, sciant
omnes — ? etc.

varius, commut. multip.) varius natura, *commutabilis* voluntate, *multiplex* consiliis.

§. 93. *flexibile, devium) flexibilis* est, qui iter flectit atque a proposito suo ad alterius voluntatem alio se convertit, *devius* is dicitur, qui solitam ratamque quandam vitae viam non sequitur. cfr. Phil. V, 13: *Nam si M. Antonio patuisset Gallia, si oppressis municipiis et coloniis imparatis, in illam ultimam Galliam penetrare potuisset; quantus reipublicae terror impenderet? dubitaret, credo, homo amentissimus, atque in omnibus consiliis praeceps et devius, non solum cum exercitu suo, sed etiam cum omni immanitate barbariae bellum inferre nobis;* et Acad. III. Frag. *Quod si liceret, ut iis, qui in itinere deerravissent, sic vitam deviam secutos corrigere* (Lünem. *secutis corrigere errorem*) *poenitendo, felicior esset emendatio temeritatis*, hoc est, vitam a vera via virtutis aversam. — *sensum*) i. e. sententiam. — *vultum atque nutum) vultus* in oris habitu cernitur, fronte inprimis et oculis, *nutus* est voluntatis per motum oris significatio. Pis. I: *Oculi supercilia, frons, vultus denique totus, qui sermo quidam tacitus mentis est, hic in fraudem homines impulit;* et Att. VII, 8: *quid opus est de Dionysio tam valde affirmare? An mihi nutus tuus non faceret*

Negat quis? nego: ait? aio: postremo imperavi egomet mihi,
Omnia assentari,

ut ait idem Terentius; sed ille sub Gnathonis persona: quod amici genus adhibere omnino levitatis est. Multi autem Gna- 94
thonum similes quum sint, loco, fortuna, fama superiores, horum est assentatio molesta, quum ad vanitatem accessit auctoritas. Secerni autem blandus amicus a vero et internosci tam 95
potest, adhibitâ diligentiâ, quam omnia fucata et simulata a sinceris atque veris. Concio, quae ex imperitissimis constat, tamen iudicare solet, quid intersit inter popularem, id est, assentatorem et levem civem, et inter constantem, severum et gravem. Quibus blanditiis C. Papirius nuper influebat in au- 96

---

§. 96. — *Illi* a. E. Alii Cdd. v. V. m. M. (G.) B. — *illa* Ceteri, quod defendit Goer. ut sit *illi tum*: — om. *illa* b. — Om. *non comitem* Pith. prob. Graevio. Del. Lall. G. N. []. Denfendit Goer. Restituit B. — *sim* a. v. V. m. R. — om. *sum* b. — Sic ab. E. V. R. G. B. — *itaque* pro *ita* c. v. m. M. L. P. 3. 1. 2.

fidem? — Negat quis?) de metro consule Zumpt. Gr. Append. §. 822. — *quod amici genus*) pro *cujus generis amicum*. Enallagen constructionis maluit, ut sententia singulariter peculiariterque ad Gnathonis personam in antecedentibus referenda esset.

§. 94. *Gnathonum sim.*) Pluralem dedit propter Plural. *multi* cfr. supra c. 19. §. 67. — *sint loco*) Rectius distinxeris cum Beiero: *sint, loco* etc., ut verba *superiores loco, fortuna, fama* sint oppositio. — *molesta*) i. e. odiosa, execrabilis. cfr. supra c. 24. §. 89. — *ad vanitatem*) i. e. mendacium Cfr. Gell. XVIII, 4: *Nos autem postea ex Apollinari didicimus, vanos proprie dici, non (ut vulgus diceret) desipientes aut hebetes, aut ineptos: sed ut veterum doctissimi dixissent, mendaces et infidos, et levia inaniaque pro gravibus et veris astutissimi componentes.*

§. 95. *secerni — internosci*) *secernimus* vera a falsis, ne videlicet falsis utamur, *internoscimus* autem vera a falsis signis quibusdam et notis. — *a vero*) *verus* h. l. est, ubi voci *blandus* opponitur, *veritatis amans, ad veritatem loquens.* — *adhibita diligentia*) i. e. ad dissimile utriusque ingenium animadversione attenta. — *fucata et sim sinc. atq. veris*) Homoeoteleuta. — *popularem*) i. e. aurae popularis captatorem, ut sint opposita *popularem* et *constantem*. — *severum*) *severus* dicitur, qui nihil dat licentiae, rigidus veri cultor; opponitur autem h. l. *severus assentatori*. — *gravis*) i. e. *providus*, qui opponitur *levi* i. e. *temerario*. — *influebat*) ut Off. II, 9. 31: *est alius quidam aditus ad multitudinem, ut in universorum animos tamquam influere possimus.*

§. 96. *quanta illi*). Facile lego cum Gernhardo *illa*. Nam lectionem *illi* sive ad totam exclamatio-

res concionis, quum ferret legem de tribunis plebis reficiendis! Dissuasimus nos. Sed nihil de me: de Scipione dicam libentius. Quanta illa, dii immortales! fuit gravitas, quanta in oratione maiestas! ut facile ducem populi Romani, non comitem diceres. Sed adfuistis, et est in manibus oratio. Itaque lex popularis suffragiis populi repudiata est. Atque, ut ad me redeam, meministis, Q. Maximo fratre Scipionis et L. Mancino consulibus, quam popularis lex de sacerdotiis C. Licinii Crassi videbatur! Cooptatio enim collegiorum ad populi beneficium transferebatur. Atque is primum instituit in forum versus agere cum populo: tamen illius vendibilem orationem religio deorum immortalium, nobis defendentibus, facile vincebat.

96. QUANTA ILLI — VIDEBATUR: —

---

nem refers, inepte atque otiose dicetur: *quanta illi fuit in oratione majestas!* sive ad priorem partem exclamationis, non modo lanquidum erit opponere *illi gravitas* et *in oratione majestas*, sed ne verum quidem; nam verba *in oratione* tam ad *gravitas* quam ad *majestas* pertinent, ut sit pro *quanta gravitas, quanta majestas in oratione* — ordine id paulo negligentiori, ut in sermone familiari. De qua quidem negligentia confer, quae sequuntur: *ut facile ducem populi Romani, non comitem diceres.* — *comitem*) *comes* nonnunquam ita usurpatur, ut sit pro privato atque opponatur iis, qui rebus praesunt, ut Phil. VII, 8: *Itaque, quod erat optabile antea, ut populum Romanum comitem haberemus, nunc habemus ducem.* — *est in manibus oratio*) *in manibus esse oratio* dicitur ea, quae ubique exstat et ab omnibus legitur, ut Cat. c. 4. §. 12: *Est in manibus laudatio: quam cum legimus, quem philosophum non contemnimus?* — *quam popularis — videbatur*) Indicativum in interrogatione ita ponunt, si simpliciter rem ita, ut demonstretur, significatur se habere, ut sint illa *adspice, viden', meministi* etc. merae admonendi excitandique formulae ad interrogationum instar interjectae; interdum etiam omissae. Cfr. Virg. Eclog. IV, 52: *Adspice, venturo laetantur ut omnia saeclo!* et ibid. V, 6:

Adspice, ut antrum
Silvestris raris sparsit labrusca racemis.

item leg. 2. 3: *Ut enim hoc quasi rostro finditur Fibrenus et divisus aequaliter in duas partes latera haec alluit, rapideque dilapsus cito in unum confluit, et tantum complectitur, quod satis sit modicae palaestrae, loci!* Ponendum igitur in fine sententiae signum exclamationis. — *Cooptatio*) „Cooptatio dicebatur, cum sine suffragio populi vel sacerdotes sacerdotem, vel pontifices pontificem, vel censores senatorem legebant.“ — *transferebatur*) Imperfectum conatus, ut Caes. Bell. Civ. I, 16: *cohortes quinque, praemissae a Domitio ex oppido, pontem fluminis interrumpebant, qui erat ab oppido millia passuum cir-*

Atque id actum est praetore me, quinquennio ante quam consul sum factus. Ita re magis, quam auctoritate causa illa defensa est.

XXVI. Quod si in scena, id est, in concione, in qua rebus fictis et adumbratis loci plurimum est, tamen verum valet, si modo id patefactum et illustratum est: quid in amicitia fieri oportet, quae tota veritate perpenditur? in qua nisi, ut dicitur, apertum pectus videas, tuumque ostendas, nihil fidum, nihil exploratum habeas; ne amare quidem, aut amari, quum, id quam vere fiat, ignores. Quamquam ista assentatio, quamvis perniciosa sit, nocere tamen nemini potest, nisi ei, qui eam recipit atque in ea delectatur. Ita fit, ut is assentatoribus patefaciat aures suas maxime, qui ipse sibi assentetur et se 97

§. 97. — *ne possis* m. — *possis aut amari* b. — *aut am. possis* v. V. R. M. L. *amari scis (scis* superscr. a. sec. manu:) a. — *in ea* c. b. — *in illa* Beda. — om. *in* Cet. — om. *ipse* E. V. R.

citer III. Ibi cum antecursoribus Caesaris proelio commisso, celeriter Domitiani a ponte repulsi se in oppidum receperunt. Caesar legionibus transductis ad oppidum constitit juxtaque murum castra posuit. cfr. supra c. 20. §. 75. — *in forum versus)* Sic enim Crassus aurae popularis captans atque in contumeliam senatus concionatus est, quum antea, qui cum populo agerent, in curiam versi et comitium verba fecissent. — *agere cum populo)* Cfr. leg. III, 4: *Cum populo patribusque agendi jus esto consuli, praetori, magistro populi equitumque, eique, quem patres produnt, consulum rogandorum ergo, tribunisque, quos sibi plebes rogassit, jus esto cum patribus agendi. Agere* autem *ad* vel *apud populum* est verba facere apud populum, vel in accusationibus vel in defensionibus vel alia de causa. — *vendibilem)* i. e. populi plausum captantem, ut Brut. 47: *Gellius non tam vendibilis orator, quam ut nescires, quid ei deesset.* — *atque id)* i. e. *atque adeo*, ut saepe. — *praetore me, quinquennio)* i. e. quum homo essem auctoritatis neque propter magistratum neque etiam propter aetatem magnae. — *ita)* i. e. *adeo*, ut saepe; cfr. pro Dejot. c. 7: *Dii te perduint, fugitive! ita non modo nequam et improbus, sed et fatuus et amens es.*

§. 97. *in scena, id est, in concione)* si cui voci improprie adaciusque adhibitae vox propria apponitur, formulam *id est* usurpare noster solet; qua quid cogitandum potissimum sit, significetur. Cfr. Cat. c. 16. §. 56: *In agris erant tum senatores, id est, senes:* Fin. III, 5. 18: *Jam membrorum, id est, partium corporis, alia videntur propter eorum usum a natura esse donata, ut manus* etc.

98 maxime ipse delectet. Omnino est amans sui virtus; optime enim se ipsa novit, quamque amabilis sit, intelligit. Ego autem non de virtute nunc loquor, sed de virtutis opinione. Virtute enim ipsa non tam multi praediti esse, quam videri volunt. Hos delectat assentatio; hi, fictus ad ipsorum volun-

98. INTELLIGIT: EGO —. HIS FICT.

---

§. 98. — *fac. nobis* E. L. P. ∾ del. *nobis* cum ab. Aliis Cdd. B.

fictis et adumbratis) est Gradatio; nam *adumbrata* habere pro veris magis est falli, quam *ficta*. — *ut dicitur*, *apert. pect.*) excusat enim *pectus* pro *animo* dictum. De re Scolion apud Athenaeum p. 694:

εἴθ' ἐξῆν, ὁποῖός τις ἦν ἑκάστοτε,
τὸ στῆθος διελόντ', ἔπειτα τὸν νοῦν
ἐςιδόντα, κλείσαντα πάλιν,
ἄνδρα φίλον νομίξειν ἀδόλῳ φρενί.

amare quidem et amari) sc. *exploratum habeas*; amare exploratum est, si pectus tuum ostendis; *amari*, si apertum pectus vides. — *Quamquam*) h. l. absolute ponitur in Correctione. — *quamvis pernic. sit*) i. e. sit perniciosa quantum volet; ne hanc sequenti sententiae *nocere tamen* etc. adversari putes. — *ipse sibi assentetur*) Notandus abusus vocis *assentari*, in tali quidem contextu excusandus. Nam proprie nemo sibi ipse *assentari* potest dici, quum in hoc, quod quisque sentit, propter id ipsum sibi assentire debet. De re cfr. Aristot. Rhet. I, 11: *Ἐπεὶ φίλαυτοι πάντες· καὶ τὰ αὑτῶν ἀνάγκη ἡδέα εἶναι πᾶσιν, οἷον ἔργα, λόγοι· διὸ φιλοκόλακες ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ καὶ φιλερασταὶ καὶ φιλότιμοι καὶ φιλότεκνοι.* et Seneca de tranq. animi. c. 1. ad. f.: *Non est quod nos magis alienâ judices adulatione perire, quam nostrâ. Quis sibi verum dicere ausus est? quis non inter laudantium blandientiumque positus greges plurimum tamen sibi ipse assentatus est?*

§. 98. *Omnino*) Occurit objectioni, quia virtus est amans sui, seque ipsa delectat. — *Ego autem*) formula solennis, qua utuntur scriptores, quum his, quae antea ex oblocutoris sententia posuerunt, suam sententiam opponunt. Cfr. Orat. 19. 68. et Liv. XXI, 18: *nunc ab nobis et confessio culpae exprimitur: et ut a confessis, res extemplo repetuntur. Ego autem non, privato publicone consilio Saguntum oppugnatum sit, quaerendum censeam.* Distinguendum igitur ante *ego autem* interpunctione pleniori; in qua quidem sententia Beierum etiam esse video. — *his fictus ad ipsor.*) *his*, quod in omnibus libris legitur, vide ne sit corruptum ex *hi*. Nam primum insolentius, ne dicam male, dici videtur *alicui sermonem adhibere*. Deinde *his fictus sermo cum adhibetur* si scripsit noster, admodum odiose in Emphasi sententiam repetit proxime ante verbis *hos delectat assentatio* expressam emphatice. Quo accederet, ut Pronomini *his*, in sententia secundaria Objecti locum obtinenti vis multo minor, quam pro Repetitione acquireretur. Tum oratio planius continuatur sic: *hos delectat assentatio, hi, fictum — — adhibetur, orationem illam vanam*

tatem sermo quum adhibetur, orationem illam vanam testimonium esse laudum suarum putant. Nulla est igitur haec amicitia, quum alter verum audire non vult, alter ad mentiendum paratus est. Nec parasitorum in comoediis assentatio [nobis] faceta videretur, nisi essent milites gloriosi.

Magnas vero agere gratias Thais mihi?

Satis erat respondere, *magnas*; *ingentes*, inquit. Semper auget assentator id, quod is, cuius ad voluntatem dicitur, vult esse magnum. Quamobrem, quamvis blanda ista vanitas apud eos 99
valeat, qui ipsi illam allectant et invitant; tamen etiam gravio-

---

§. 99. — *quamquam* pro *quamvis* abc. E. L. P. (*ista bl. van.* a. Beda. — om.. *blanda* b.) — *cognoscitur* ex una Dresd. sec. G. Billerb. N. B. — cav. est cum Cdd. Facc. G. B. — *magis cav.* Ceteri.. — *emunxeris* de Bentlei conj. ad Horat. T. 2. p. 141. Lips. Ed. pr. B. — *unxeris* Palat. pr. Facc. 2. G. Billerb. contra metrum. — *vixeris* bc. — ut *jusseris* E. — *illuseris* r. — *luseris* v. V. m. R. L. P. 3. 1. (N. [ ]).

testimonium esse laudum suarum putant. Quae autem res me maxime movet; non fert usus sermonis Latini, Subjectum sententiae periodi primariae peti ex Objecto secundariae. De simili autem litera initiali vocis subsequentis *fictus*. Pronom. *hi* literam s. sibi adrogavit. Nam verbum adhibere sine Dativo, ut saepe, positum est, itemque valet, quod *afferre*. — *vanam*) cfr. supra c. 25. §. 94. — *laudum suarum*) i. e. *excellentiarum*, ut Nep. Praef. V: *Magnis in laudibus tota fuit Graecia, victorem Olympiae citari.* Est autem hic usus tropicus, quo Consequens ponitur pro Antecedente. — *nec parasitorum*) Nescio an festivitatem quandam quaesierit noster in Alliteratione atque Annominatione *paratus est. Nec parasitorum.* Ceterum negatio *nec* h. l. est pro *ne — quidem.* — *nisi essent milit. glor.*) Nam hos si versant et illudunt lautissime, nemo est, qui indignetur, qui non rideat. — *agere gratias Thais*) Infinitivus *agere* pendet a Verbo subaudiendo *jubet*. Nam quum simul cum actu ex abrupto ordiatur sermonem poëta, cogitandum est, Gnathonem Thrasoni in scenam prodeunti tale quid dixisse: *Jubet magnas agere gratias Thais tibi* — unde pendet Thraso. — *semper auget assentator*) cfr. Juvenalis Sat. III, 100.

Rides? majore cachinno
Concutitur; flet, si lacrymas inspexit amici,
Accipit endromidem: si dixeris: aestuo, sudat.

Adde Horat. de Art. poët. sub. fin.

§. 99. *apud eos valeat*) i. e. eos moveat. — *allectant et invitant*) isti *allectant* assentatores, dum leves esse videntur, *invitant*, dum delectantur assentatione. — *excors*) i. e. *amens* cfr. Tusc. I, 9. 18: *aliis cor ipsum animus videtur: ex*

res constantioresque admonendi sunt, ut animum advertant, ne callida assentatione capiantur. Aperte enim adulantem nemo non videt, nisi qui admodum est excors: callidus ille et occultus ne se insinuet, studiose cavendum est. Nec enim facillime agnoscitur, quippe qui etiam adversando saepe assentetur, et litigare se simulans blandiatur atque ad extremum det manus vincique se patiatur, ut is, qui illusus sit, plus vidisse videatur. Quid autem turpius, quam illudi? Quod ne accidat, magis cavendum est, ut in Epiclero:

Hodie me ante omnes comicos stultos senes
Versaris atque illuseris lautissime, —

99. ACCIDAT CAV. — EMUNXERIS LAUT. —

---

quo *excordes*, *vecordes* *concordesque* *dicuntur*. — *callidus*) i. e. multum in adulatione versatus. *nec — facillime*) vi negatione aucta pro *difficillime*. — *quippe qui -- videatur*) Notandus hujus loci numerus in describendo assentatore elegantissimus; quo facit et Polysyndeton *et litig.* — *atque ad extr.* — *vincique*, et Homoeoteleuton *blandiatur* — *patiatur* — *videatur*. — *cavendum est*, *ut in Epicl.*) Cave haec ita intelligas, quasi scriptor sequentibus Pacuvii versiculis tamquam exemplo doceat, quae cautio, ne illudare, adhibenda sit. Imo deterret, ne in tali praecautione improvidi illius senis personam agamus. Quocirca verba *ut in Epiclero* ad *quod ne accidat* referenda sunt, aut servanda lectio vulg. *magis cavendum est*. Quam si tueare lectionem, Conjunctionem *ut* pro *quam* adhibitam dicas; sic Graeci post Comparativum ὡς pro ἤ usurpant. Cicero cum Superlativo certe pro *quam* junxit *ut* pro Cluentio. *Tum appellat hilari vultu hominem Balbus ut blandissime potest.* Sic vicissim *ut* pro *quam* posuit. Fam. XIV. 12: *id erat quondam quasi necesse*, *nunc quoquo modo se res habet*, *non est item*, *quam dudum*. Potest autem nostro loco ratio quaedam reddi hujus usus insolentioris; namque eodem modo, quo *non magis* adhibetur pro *item*, h. l. *magis* dictum est pro *non item*. — *versaris atque emunxeris*) Supplendum ad haec Futt. exactt. Conjunct. conditionalis *si*, quae haud raro ab his Temporibus abesse solet. Minis autem cavere vult ille senex, ne a servo deludatur, ut Simo apud Terent. minatur Davo, Andr. I, 2. 23:

Si sensero hodie, quidquam in
his te nuptiis
Fallaciae conari, quo fiant minus,
Aut velle in ea re ostendi, quam sis callidus;
Verberibus caesum te in pistrinum,
Dave, dedam usque ad necem;

Ceterum *illuseris* dedi tum cum respectu verbi *illudi* in Laelii sermone antecedenti, tum quod eo codicum corruptela ducere videbatur.

Haec enim etiam in fabulis stultissima persona est improvi- 100
dorum et credulorum senum. Sed, nescio quo pacto, ab amicitiis perfectorum hominum, id est, sapientium — de hac dico sapientia, quae videtur in hominem cadere posse — ad leves amicitias deflexit oratio. Quamobrem ad illa prima redeamus eaque ipsa concludamus aliquando.

C a p. XXVII.

Iam in fine dialogi Laelius omnem suam de amicitia sententiam paucis retractat, atque id cum primis in amicitia laudat, quod nullum ad eam jungendam impedimento sit aetatis discrimen. Deinde, quanti ipse Scipionis amicitiam sibi faciendam putet, quanta fuerit inter ipsos omnium rerum communio, quanta convenientia morum, studiorum, voluntatum, epilogo graviori declarans, Scaevolam et Fannium, ut virtutem et amicitiam omnibus rebus anteponant, etiam atque etiam hortatur.

XXVII. Virtus, virtus, inquam, C. Fanni, et tu, Q. Muci, et conciliat amicitias et conservat. In ea est enim con-

---

§. 100. — *enim etiam* bc. E. 3. Seqq. — om. *enim* v. — om. *etiam* V. m. R. M. L. P. — v. *posse* B. [ ]. ∾ *ductum* L. — *ab. am. dictum est* b. Beda.

C. XXVII. §. 100. *Virtus, virtus*) Repetitur per Epizeuxim vocabulum *virtus*, ut Tusc. V, 28: *Dabit, dabit, inquam, se in tormenta vita beata:* et Parad. II: *Nescis, insane, nescis, quantas vires virtus habeat, nomen tantum virtutis usurpas;* item ad Quint. Frat. I, 3: *Mi frater, mi frater, mi frater, tune id veritus es, ne ego iracundia aliqua adductus pueros ad te sine literis miserim?* Add. Horat. Od. II, 14. 1:

Eheu, fugaces, Postume, Postume,
Labuntur anni!

Convenit autem talis vocum anadiplosis orationi concitatiori, cujusmodi est hic locus. Etiam Repetitio illa in sequentibus *in ea — in ea*, huc spectat. — *convenientia rerum*) i. e. συμπαθεία, ut de Div. II, 15: *Concedam hoc ipsum, si vis, etsi magnam jacturam causae fecero, si ullam esse convenientiam naturae cum extis concessero.* et Nat. D. III, 11: *Itaque illa mihi placebat oratio de convenientia consensuque naturae, quam quasi cognationem continuatam conspirare*

venientia rerum, in ea stabilitas, in ea constantia: quae quum se extulit et ostendit lumen suum et idem adspexit agnovitque in alio: ad id se admovet vicissimque accipit illud, quod in altero est; ex quo eorum exardescit sive amor sive amicitia. Utrumque enim dictum est ab amando: amare autem nihil aliud est, nisi eum ipsum diligere, quem ames, nulla indigentia, nulla utilitate quaesita: quae tamen ipsa effloreseit ex
101 amicitia, etiam si tu eam minus secutus sis. Hac nos adolescentes benevolentia senes illos L. Paullum, M. Catonem, C. Gallum, P. Nasicam, Ti. Gracchum, Scipionis nostri socerum, dileximus; haec etiam magis elucet inter aequales, ut inter me et Scipionem, L. Furium, P. Rupilium, Sp. Mummium: vicissim autem senes in adolescentium caritate acquiescimus, ut in vestra, ut in Q. Tuberonis; equidem etiam admodum adolescentis P. Rutilii, A. Virginii familiaritate delector. Quoniam

---

§. 101. — *et quidem* b. E. Beierus sic distinxit: *ut in Q. T. equidem; etiam.* — Sic Dresd. a. v. V. m. R. M. L. P. G. ∾ om. *ex alia* bc. E. cum plerisq. 3. 1. 2. B Excidit fortasse, quia sic scripserat Cic. ∾ *alia ex alia aetas or.* Orell.

dicebas. — *extulit)* tralata ab agrorum fertilitate significatio, ut Orat. II, 21. *efferat se foecunditas in adolescente.* — *agnovitque*) *agnoscere* est rem jam notam aliunde cognoscere. Cfr. Tusc. I, 28: *ut deum agnoscis ex operibus ejus, sic ex memoria rerum, et inventione, et celeritate motus, omnique pulchritudine virtutis vim divinam mentis agnoscito.* — *sive amor, sive amicitia) sive* h. l. nominum diversitatem denotat. cfr. Zumpt. Gr. c. 67. §. 336. — *eum ipsum dilig.*) *ipsum* h. l. emphatice dictum, cum respectu ad sequentia *nulla utilitate quaesita.* — *tamen ipsa*) *ipsa* i. e. per se sola, sua sponte, ut Div. I, 34: *valvae se ipsae aperuerunt.* et Off. 1. 22: *delapsa arma ipsa ceciderunt.* Virg. Eclog. IV, 23: *Ipsa tibi blandos fundent cunabula flores.* — *amare — diligere*) cfr. supra c. 8. §. 28. — *indigentia*) cfr. supra c. 9. §. 29. — *secutus sis)* i. e. appetiveris.

§. 101. *vicissim autem*) cfr. supra c. 9. §. 30. — *adol. caritate*) *caritas* dicitur adolenscentium amor erga senes. cfr. supra c. 6. §. 20. — *acquiescimus*) cfr. Zumpt. Gr. c. 72. §. 416. — *equidem etiam*) Noli *equidem*, ut Beierus, adjungere praecedentibus; cfr. Var. Lect. Pronomen personale acuitur in affirmatione rei, quae mira quaedam videri possit. Similem locum habes Cat. c. 14. §. 46: *Ego vero propter sermonis delectationem tempestivis quoque conviviis delector.* — *admodum adolescentis*) Partic. *admodum* Substantivis non adjicitur, nisi si ea pro Adjectivis ponuntur, quod in primis usu venit in Substantivis *juvenis*, *puer*, *adolescens.* — *aetas oriatur ex alia*) Recte interpretatur Beierus *aetatem*

que ita ratio comparata est vitae naturaeque nostrae, ut alia aetas oriatur ex alia; maxime quidem optandum est, ut cum aequalibus possis, quibuscum tamquam e carceribus emissus sis, cum eisdem ad calcem, ut dicitur, pervenire. Sed quo- 102
niam res humanae fragiles caducaeque sunt, semper aliqui anquirendi sunt, quos diligamus et a quibus diligamur: caritate enim benevolentiaque sublata omnis est e vita sublata iucunditas. Mihi quidem Scipio, quamquam est subito ereptus, vivit tamen semperque vivet: virtutem enim amavi illius viri, quae exstincta non est. Nec mihi soli versatur ante oculos, qui illam semper in manibus habui, sed etiam posteris erit clara et insignis. Nemo umquam animo aut spe maiora suscipiet, qui sibi non illius memoriam atque imaginem proponendam putet. Equidem ex omnibus rebus, quas mihi aut fortuna 103
aut natura tribuit, nihil habeo, quod cum amicitia Scipionis possim comparare. In hac mihi de re publica consensus, in hac

---

§. 102. — v. *est* B. [ ]. — *sed et* b. — om. *etiam* c. — B. v. *sed* [ ]. — §. 103. ∾ del. *erat* cum Cdd. aliq. B. — *domus ac idem* b.

per seculum, generationem. „Nam occasum et ortum deflorescentium et renascentium aetatum (γενεῶν) notando ita demum vitae naturaeque humanae ratio declarabitur, cohaerebitque cum reddita ratione, quod inde colligitur praeceptum: semper aliquos (= alios quos, h. e. alios post alios) anquirendos esse amicos". Cfr. etiam Il. ζ. 149:

Ὡς ἀνθρώπων γενεή, ἡ μὲν φύει, ἡ δ' ἀπολήγει.

ad calcem) i. e. cretam, qua meta designabatur. cfr. Cat. c. 23. §. 83.

§. 102. *fragiles caducaeque*) junguntur per figuram Gradationis. — *res humanae*) i. e. vita hominum. — *in manibus habui*) i. e. virtutem Scip. praesentem vidi; ut Brut. c. 83: *Sed ecce in manibus vir est praestantissimo ingenio.* — *C. Gracchus* Epist. ad Lent. I, 9. p. 18. ed. Ern.: *inimicum meum — sic amplexabantur, sic in manibus habebant, sic fovebant, sic me praesente osculabantur.* — *clara et insignis*) vir *clarus* virtute, *insignis* laude. Cfr. Fam. III, 11: *nihil enim fuit clarius: non quo quisquam aliter putasset: sed nihil de insignibus ad laudem viris obscure nuntiari solet.* — *animo aut spe*) per *aut* h. l. ascenditur. — *majora*) *majora* est Comparativ. augens pro Positivo, ut Virg. Eclog. IV, 1. — *paullo majora canamus.*

§. 103. *rebus, quas* etc.) i. e. rebus humanis. — *quod quidem senserim*) Cfr. Zumpt. Gr. c. 78. §. 559. — *peregrinationes rusticationesque*) de more Romanorum, qui haec animi oblectamentique causa solebant curare.

rerum privatarum consilium, in eadem requies plena oblectationis fuit. Nunquam illum ne-minima quidem re offendi, quod quidem senserim; nihil audivi ex ipso, quod nollem; una domus [erat], idem victus, isque communis; neque solum militia, sed etiam peregrinationes rusticationesque communes.
104 Nam quid ego de studiis dicam cognoscendi semper aliquid atque discendi? in quibus remoti ab oculis populi omne otiosum tempus contrivimus. Quarum rerum recordatio et memoria si una cum illo occidisset, desiderium coniunctissimi atque amantissimi viri ferre nullo modo possem. Sed nec illa exstincta sunt, aluntur potius et augentur cogitatione et memoria: et, si illis plane orbatus essem, magnum tamen afferret mihi

§. 104. — v. *esse debent* B. [ ]. — *mag. sunt*, b. E. m. M. L. G. B. ∾ *sint*. c. v. V. R. P. 3. 1. 2.

§. 104. *Nam quid ego*) de usu Particulae *nam*. Cfr. supra c. 13. §. 45. — *cognoscendi* — *discendi*) cfr. quae diximus de discrimine vocum *cognitio*, et *doctrina* c. 23. §. 86. — *in quibus remoti*) De re cfr. Scipionis cum Q. Tuberone sermonem in l. I de rep. c. 9. f. et cum Laelio ib. c. 13: *Ac me quidem, ut (Hercule!) etiam te ipsum, Laeli, omnisque avidos sapientiae cognitio ipsa rerum consideratioque delectat. Tum Laelius: Non impedio, praesertim quoniam feriati sumus;* et in primis ib. c. 20. f. — *recordatio et memoria*) *recordatione* animus in tempus praeteritum revertitur, *memoria* tempus praeteritum tenet. cfr. Orat. I, 2: *mihi repetenda est veteris cujusdam memoriae non satis explicata recordatio.* et Prov. cons. 12: *Ultimi temporis recordatione et proximi memoria.* — *aluntur* — *augentur*) *aluntur* dixit cum respectu antecedentium *extincta sunt.* — *diutius*) Comparativ. augens pro Positivo *nimis diu.* — *jam*) i. e. ex hoc tempore. — *in hoc desiderio*) *desiderium* et de eo, qui desiderat, et qui desideratur, dici solitum est. Cfr. But. I, 1: *Augebat etiam molestiam, quia magna sapientium civium, bonorumque penuria vir egregius, conjunctissimusque mecum consiliorum omnium societate, alienissimo reipublicae tempore exstinctus, et auctoritatis et prudentiae suae triste nobis desiderium reliquerat.* et Phil. X, 7: *Brutus noster erat in* desiderio *civitatis, in ore, in sermone omnium.* — *etiam si magna sunt*) Restituenda est lectio vulgata *sint*, quam recte tuetur Zumptius. Falsus autem est Gernhardus Indicativum sic defendens. „Ponitur enim, brevia quae sunt, eadem magna esse, ut est hoc ipsum, in quo nunc est, Scipionis desiderium". Nequaquam enim hoc dicit Laelius, grave sibi esse desiderium Scipionis; imo ipse explicat, quibus solatiis dolorem illum ferre possit, omninoque suspicionem viri parum constantis fugit. Decebat igitur hunc, etiam-

aetas ipsa solatium; diutius enim iam in hoc desiderio esse non possum. Omnia autem brevia tolerabilia esse debent, etiam si magna sint. Haec habui, de amicitia quae dicerem. Vos autem hortor, ut ita virtutem locetis, sine qua amicitia esse non potest, ut ea excepta nihil amicitia praestabilius putetis.

---

si graviter tulisset Scipionis mortem, non tamquam ad factum alludere ad suam ipsius conditionem, sed ambigue tantum sententia communi. — *locetis*) „Sic accipe: eum virtuti locum adsignetis, ut haec prima sit, amicitia proxima."

INDEX HISTORICUS.

A.

Aemilius, vid. **Papus**.
Africanus, vid. **Scipio**.
Annibal, c. 8 §. 28; cf. **Val. Max.** IX. 2. **extr.** 2.: Eorum dux Annibal, cujus majore ex parte virtus saevitia constabat, in flumine Vergello corporibus Romanis ponte facto, exercitum traduxit; ut aeque scelestum terrestrium Carthaginiensium copiarum egressum terra, quam maritimarum Neptunus experiretur. Idem captivos nostros oneribus et itinere fessos jam prima pedum parte succisa relinquebat. Quos vero in castra perduxerat, paria fere fratrum et propinquorum jungens, ferro decernere cogebat; neque ante sanguine explebatur, quam ad unum victorem omnes redegisset. Justo ergo illum odio, verumtamen tardo supplicio, senatus Prusiae regis factum supplicem ad voluntariam mortem compulit. — **Liv.** XXI. 16. Hannibal, totis viribus adgressus urbem, momento cepit, signo dato, ut omnes puberes interficerentur; quod imperium crudele ceterum prope necessarium cognitum ipso eventu est.
Atilius, L. c. 2. §. 6.; cf. **Legg.** II. 23. Mulieres genas ne radunto, neve lessum funeris ergo habento. Hoc veteres interpretes, Sex. Aelius, L. Atilius non satis se intelligere dixerunt, sed suspicari vestimenti aliquod genus funebris: L. Aelius, lessum, quasi lugubrem eiulationem, ut vox ipsa significat.
Atticus T. Pomponius, c. 1 §. 2.; cf. **Nep. Att.** c. 2. §. 1. Ipse adolescentulus propter affinitatem P. Sulpicii, qui Tribunus plebis interfectus est, non expers fuit illius periculi. Namque Anicia, Pomponii consobrina, nupserat M. Servio, fratri P. Sulpicii; **ibid.** c. 5. §. 3. Erat nupta soror Attici Q. Tullio Ciceroni: easque nuptias M. Cicero conciliarat, cum quo a condiscipulatu vivebat conjunctissime, multo etiam familiarius, quam cum Quinto: ut judicari possit, plus in amicitia valere similitudinem morum, quam affinitatem.

B.

Bias, c. 16. §. 59.; cf. **Val. Max.** VII. 3. **extr.** 3.: Bias autem, cujus sapientia diuturnior inter homines est, quam patria Priene

fuit (siquidem haec etiam nunc spirat; illius perinde atque extinctae vestigia tantummodo extant) ita aiebat oportere homines in usu amicitiae versari, ut meminissent eam ad gravissimas inimicitias posse converti. Quod quidem praeceptum prima specie nimis fortasse callidum videatur inimicumque simplicitati, qua praecipue familiaritas gaudet: sed si altioribus animis cogitatio demissa fuerit, perquam utile reperietur.

Blossius, C., c. 11. §. 37.; cf. Val. Max. IV. 7. 1. Inimicus patriae fuisse Ti. Gracchus existimatus est; nec immerito: quia potentiam suam saluti ejus praetulerat. Quam constantis tamen fidei amicum etiam in hoc tam pravo proposito C. Blossium Cumanum habuerit, operae pretium est cognoscere. Hostis judicatus, ultimo supplicio affectus, sepulturae honore spoliatus, benevolentia tamen ejus non caruit. Nam cum senatus Rupilio et Laenati consulibus mandasset, ut in eos, qui cum Graccho consenserant, more majorum animadverterent, et ad Laelium, cujus consilio praecipue consules utebantur, pro se Blossius deprecatum venisset familiaritatisque excusatione uteretur, atque is dixisset: Quid si te Gracchus templo Jovis Opt. Max. faces subdere jussisset; obsecuturusne voluntati illius propter istam, quam jactas, familiaritatem fuisses? Nunquam istud, inquit, Gracchus imperrasset. Satis, imo etiam nimium; totius namque senatus consensu damnatos mores defendere ausus est. Verum, quod sequitur, multo audacius, multoque periculosius; compressus enim perseveranti interrogatione Laelii, in eodem constantiae gradu stetit, seque etiam hoc, si modo Gracchus annuisset, facturum respondit. Quis illum sceleratum putasset fuisse, si tacuisset? Quis non etiam sapientem, si pro necessitate temporis locutus esset? At Blossius nec silentio honesto, ne prudenti sermone salutem suam, ne qua ex parte infelicis amicitiae memoriam desereret, tueri voluit.

Brutus, D., v. Scipio Nasica Serap.

C.

Cajus, v. Gracchus.

Cato M. Porcius, c. 1. §. 4. et 5.; c. 2. §. 6. et 9. et 10.; c. 3. §. 11.; c. 21. §. 76.; c. 24. §. 90; c. 27. §. 101.; cf. de senect. c. 1. Omnem autem sermonem tribuimus non Tithono, ut Aristo Chius, ne parum esset auctoritatis in fabula: sed M. Catoni seni, quo maiorem auctoritatem haberet oratio; apud quem Laelium et Scipionem facimus admirantes, quod is tam facile senectutem ferat, iisque eum respondentem; et Off. III. 5. Nemo enim horum sic sapiens, ut sapientem volumus intelligi, nec hi, qui sapientes habiti et nominati, M. Cato et C. Laelius sapientes fuerunt; ne illi quidem septem: sed ex mediorum officiorum frequentia similitudinem quandam gerebant speciemque sapientium; Fam. IV. 6. Nam et Q. Maximus, qui filium consularem, clarum virum, et magnis rebus gestis, amisit; et L. Paullus, qui duo septem diebus; et vester Gallus et M. Cato, qui summo ingenio, summa virtute filium perdidit, iis temporibus fuerunt, ut eorum luctum

psorum dignitas consolaretur ea, quam ex republica consequebantur; Off. I. 29. multaque multorum facete dicta, ut ea, quae a sene Catone collecta sunt; quae vocant ἀποφθέγματα. — Nep. Cat. III. 1. In omnibus rebus singulari fuit prudentia et industria. Nam et agricola solers, et reipublicae peritus, et iuris consultus, et magnus imperator, et probabilis orator, et cupidissimus litterarum fuit. — Liv. XXXIX. 40. Asperi procul dubio animi, et linguae acerbae, et immodice liberae fuit; sed invicti a cupiditatibus animi, et rigidae innocentiae; contemtor gratiae, divitiarum. In parsimonia, in patientia laboris, periculi ferrei prope corporis animique; quem ne senectus quidem, quae solvit omnia, fregerit; qui sextum et octogesimum annum agens causam dixerit, ipse pro se oraverit scripseritque: nonagesimo anno Ser. Galbam ad populi adduxerit judicium.

Cato C. c. 11. §. 39.; cf. Cic. Brut. 28. In aliquo numero etiam M. Fulvius Flaccus, et C. Cato Africani sororis filius, mediocres oratores. — Vell. Pat. II. 8. Mandetur deinde memoriae severitas iudiciorum, quippe C. Cato consularis, M. Catonis nepos, Africani sororis filius, repetundarum ex Macedonia damnatus est, cum lis eius quater millibus aestimaretur.

Carbo C. Papirius c. 11. §. 39.; c. 12. §. 41. cf. de Orat. II, 40. Non si Opimium defendisti, Carbo, idcirco te isti bonum civem putabunt; simulasse te, et aliud quid quaesisse perspicuum est, quod Ti. Gracchi mortem saepe in concionibus deplorasti, quod P. Africani necis socius fuisti, quod eam legem in tribunatu tulisti, quod semper a bonis dissensisti. Brut. 27. *Utinam in Ti. Graccho*, Caioque Carbone talis mens ad rempublicam bene gerendam fuisset, quale ingenium ad bene dicendum fuit! Profecto nemo his viris gloria praestitisset. Sed eorum alter propter turbulentissimum tribunatum, ad quem ex invidia foederis Numantini bonis iratus accesserat, ab ipsa republica est interfectus; alter propter perpetuam in populari ratione levitatem morte voluntaria se a severitate iudicum vindicavit; Fam. IX. 21. Tres illi fratres fuere, C. Cn. M. Carbones. Marcus P. Flacco accusante condemnatus, fur magnus ex Sicilia Caius, accusante L. Crasso, cantharidas sumsisse dicitur: is et tribunus pleb. seditiosus, et P. Africano vim attulisse existimatus est.

Cassius Sp. Viscellinus, c. 8. §. 28.; c. 11. §. 36. cf. Liv. II. 41: Cassius, quia in agraria largitione ambitiosus in socios, eoque civibus vilior erat, ut alio munere sibi reconciliaret civium animos, jubere, pro Siculo frumento pecuniam acceptam retribui populo. Id vero haud secus, quam praesentem mercedem regni, adspernata plebes: adeo propter suspicionem insitam regni, velut abundarent omnia, munera ejus in animis hominum respuebantur. Quem, ubi primum magistratu abiit, damnatum necatumque constat.

Coriolanus Marcius c. 11. §. 36.; cf. Liv. II. 35. Damnatus absens in Volscos exsulatum abiit, minitans patriae, hostilesque jam tum spiritus gerens. Venientem Volsci benigne excepere; benigniusque in dies colebant, quo maior ira in suos eminebat, crebraeque nunc querelae nunc minae percipiebantur. Hospitio

utebatur Attii Tulli. Longe is tum princeps Volsci nominis erat, Romanisque semper infestus.

Coruncanius Ti., c. 5. §. 18., c. 11. §. 39.; cf. de Orat. III. 33. Haec fuit P. Crassi illius veteris, haec Ti. Coruncanii, haec proavi generi mei, Scipionis, prudentissimi hominis, sapientia, qui omnes pontifices maximi fuerunt, ut ad eos de omnibus divinis atque humanis rebus referretur; iidemque et in senatu, et apud populum, et in causis amicorum, et domi et militiae consilium suum fidemque praestabant; Nat. D. III. 2. Sed quum de religione agitur, Ti. Coruncanium, P. Scipionem, P. Scaevolam, pontifices maximos, non Zenonem aut Cleanthem aut Chrysippum sequor. — Vell. Pat. II. 128. neque novus hic mos Senatus populique Rom. est, putandi, quod optimum sit, esse nobilissimum. Nam et illi antiqui, ante primum bellum Punicum, abhinc annos CCC, Ti. Coruncanium, hominem novum, cum aliis omnibus honoribus, tum pontificatu etiam maximo, ad principale extulere fastigium.

Curius M'. c. 5. §. 18.; c. 8. §. 28.; c. 11. §. 39.; cf. Val. Max. IV. 3. 3. M. autem Curius exactissima norma Romanae frugalitatis, idemque fortitudinis perspectissimum specimen, Samnitum legatis agresti se in scamno assidentem foco, atque ligneo catillo coenantem (quales epulas, apparatus indicio est) spectandum praebuit. Ille enim Samnitum divitias contempsit: Samnites ejus paupertatem mirati sunt. Nam cum ad eum magnum auri pondus publice missum attulissent, benignis verbis invitatus, ut eo uti vellet, et vultum risu solvit, et protinus: Supervacuae, inquit, ne dicam ineptae legationis ministri, narrate Samnitibus M'. Curium malle locupletibus imperare, quam ipsum fieri locupletem: atque istud ut pretiosum, ita malo hominum excogitatum munus refertote, et mementote, me nec acie vinci, nec pecunia corrumpi posse.

F.

Fabricius Luscinus, c. 5. §. 18.; c. 8. §. 28.; c. 11. §. 39.; cf. Gell. N. A. I. 14. Julius Higinus in libro de vita rebusque illustrium virorum sex legatos dicit a Samnitibus ad C. Fabricium imperatorem Pop. R. venisse, et memoratis multis, magnisque rebus, quae bene ac benevole post redditam pacem Samnitibus fecisset, obtulisse dono grandem pecuniam, orasseque, uti acciperet utereturque, atque id facere Samnites dixisse, quod viderent multa ad splendorem domus atque victus defieri, neque pro magnitudine, dignitateque lautum paratumque esse. Tum Fabricium planas manus ab auribus ad oculos, et infra deinceps ad nares, et ad os, et ad gulam, atque inde porro ad ventrem imum deduxisse, et legatis ita respondisse: Dum illis omnibus membris, quae attigisset, obsistere atque imperare posset, nunquam quicquam defuturum. Propterea pecuniam, qua nihil sibi esset usus, ab iis, quibus eam sciret usui esse, non accipere; et ibid. III. 8. Consules tum fueruut C. Fabricius atque Aemilius. Literas, quas

ad regem Pyrrhum super ea causa miserunt, Cl. Quadrigarius scripsit fuisse hoc exemplo: Consules Romani salutem dicunt Pyrrho regi: nos pro tuis iniuriis continuo animo strenui, commoti inimiciter tecum bellare studemus. Sed communis exempli et fidei ergo, visum est, uti te salvum velimus, ut esset, quem armis vincere possimus. Ad nos venit Nicias familiaris tuus, qui sibi pretium a nobis peteret, si te clam interfecisset. Id nos negavimus velle; neve ob eam rem quicquam commodi exspectaret. Et simul visum est, ut te certiorem faceremus: ne quid ejusmodi si accidisset, nostro consilio civitates putarent factum; et quod nobis non placet, pretio aut praemio aut dolis pugnare. Tu, nisi caveas, iacebis.

Fannius, C. c. 1. §. 3 et 5.; cf. Brut. 26. Alter autem C. Fannius, M. filius, C. Laelii gener, et moribus, et ipso genere dicendi durior. Is soceri instituto, (quem, quia cooptatus in augurum collegium non erat, non admodum diligebat, praesertim cum ille Q. Scaevolam sibi minorem natu generum praetulisset: cui tamen Laelius se excusans, non genero minori dixit se illud, sed maiori filiae detulisse:) is tamen instituto Laelii Panaetium audiverat. Ejus omnis in dicendo facultas ex historia ipsius non ineleganter scripta perspici potest; quae neque nimis est infans, neque perfecte diserta.

Furius, vid. Philus.

G.

Gallus Sulpicius, c. 2. §. 9.; c. 6. §. 21.; c. 27. §. 101.; cf. supra ad Cat. (Fam. IV. 6) et Liv. XLIV. 37. C. Sulpicius Gallus tribunus militum secundae legionis, qui praetor superiore anno fuerat, consulis permissu ad concionem militibus vocatis pronunciavit, nocte proxima, ne quis id pro portento acciperet, ab hora secunda usque ad quartam horam noctis lunam defecturam esse. Id, quia naturali ordine statis temporibus fiat, et sciri ante et praedici posse. Itaque quemadmodum, quia certi solis lunaeque et ortus et occasus sint, nunc pleno orbe, nunc senescente exiguo cornu fulgere lunam non mirarentur; ita ne obscurari quidem, quum condatur umbra terrae, trahere in prodigium debere. Nocte, quam pridie Nonas Septembres insecuta est dies, edita hora luna quum defecisset, Romanis militibus Galli sapientia prope divina videri.

Gracchus, Ti., P. F., c. 27. §. 101.; cf. Off. II. 12. Ti. enim Gracchus, P. F. tamdiu laudabitur, dum memoria rerum Romanarum manebit: at eius filii, nec vivi probabantur bonis, et mortui numerum obtinent iure caesorum.

Gracchus, Ti., c. 11. §. 37 et 39.; c. 12. §. 40 et 51.; cf. Vell. Pat. II. 2. Immanem deditio Mancini civitatis movit dissensionem. Quippe Tib. Gracchus, Tib. Gracchi clarissimi atque eminentissimi viri filius, P. Africani ex filia nepos, quo Quaestore et auctore id foedus ictum erat, nunc graviter ferens aliquid a se factum infirmari, nunc similis vel iudicii vel poenae metuens discrimen; tribunus plebis creatus, (vir aliqui vita innocentissimus, ingenio flo-

rentissimus, proposito sanctissimus, tantis denique adornatus virtutibus, quantas perfecta et natura et industria mortalis conditio recipit.) P. Mucio Scaevola, L. Calpurnio Coss. abhinc annos CLXII. descivit a bonis. Pollicitusque toti Italiae civitatem, simul etiam promulgatis agrariis legibus, omnibus statum concupiscentibus, summa imis miscuit; et in praeruptum atque anceps periculum adduxit rempublicam; Octavioque collegae, pro bono publico stanti, imperium abrogavit; triumviros agris dividendis coloniisque deducendis creavit se, socerumque suum consularem, Appium, et Gracchum fratrem admodum iuvenem. 3. Tum P. Scipio Nasica, (ejus qui optimus vir a senatu iudicatus erat, nepos; ejus, qui censor porticus in Capitolio fecerat, filius; pronepos autem Cn. Scipionis, celeberrimi viri, P. Africani patrui) privatusque et togatus, cum esset consobrinus Tib. Gracchi, patriam cognationi praeferens, et quidquid publice salutare non esset, privatim alienum existimans (ob eas virtutes primus omnium absens pontifex maximus factus est) circumdata laevo brachio togae lacinia, ex superiore parte Capitolii, summis gradibus insistens, hortatus est, qui salvam vellent rempublicam, se sequerentur. Tum optimates, Senatus atque equestris ordinis pars melior et maior, et intacta perniciosis consiliis plebs, irruere in Gracchum, stantem in area cum catervis suis, et concientem paene totius Italiae frequentiam. Is fugiens decurrensque clivo Capitolino, fragmine subsellii ictus, vitam, quam gloriosissime degere potuerat, immatura morte finivit. Hoc initium in urbe Roma civilis sanguinis gladiorumque impunitatis fuit; inde ius vi obrutum, potentiorque habitus prior; discordiaeque civium, antea conditionibus sanari solitae, ferro diiudicatae; bellaque non causis inita, sed prout eorum merces fuit. Quod haud mirum est; non enim ibi consistunt exempla, unde coeperunt; sed quamlibet in tenuem recepta tramitem, latissime evagandi sibi viam faciunt; et, ubi semel recto deerratum est, in praeceps pervenitur; nec quisquam sibi putat turpe, quod alii fuit fructuosum.

Gracchus, C., c. 11. §. 39.; c. 12. §. 41.; **cf. de Divin. I. 26.** C. vero Gracchus multis dixit, ut scriptum apud eundem Caelium est, sibi in somnis, quaesturam petenti, Ti. fratrem visum esse dicere, quam vellet cunctaretur, tamen eodem sibi leto, quo ipse interisset, esse pereundum. Hoc, antequam tribunus plebi C. Gracchus factus esset, et se audisse scribit Caelius, et dixisse multis. Quo somnio quid inveniri potest certius? — **Liv. epit. LIX.** Seditiones a triumviris Fulvio Flacco et C. Gracchо et C. Papirio Carbone, agro dividendo creatis, excitatae; quibus quum P. Scipio Africanus adversaretur, fortisque ac validus de die domum se recepisset, mortuus in cubiculo inventus est.

H.

Hannibal, vid. **Annibal**.

L.

Laelius, C., c. 1. §. 1. §. 3. 4. etc. cf. Off. I, 30. in C. Laelio multa hilaritas; in eius familiari Scipione ambitio maior, vita tristior; de Repub. I, 12. Quos cum omnis salutavisset, convertit se in porticu et coniecit in medium Laelium: fuit enim hoc in amicitia quasi quoddam ius inter illos, ut militiae propter eximiam belli gloriam Africanum ut deum coleret Laelius; domi vicissim Laelium, quod aetate antecedebat, observaret in parentis loco Scipio. Pro Mur. 31. Huiuscemodi Scipio ille fuit, quem non poenitebat facere idem, quod tu: habere eruditissimum hominem, et paene divinum domi; cuius oratione et praeceptis, quamquam erant eadem ista, quae te delectant, tamen asperior non est factus, sed (ut accepi a senibus) lenissimus. Quis vero C. Laelio comior? quis iucundior, eodem ex studio isto? quis illo gravior? sapientior?; Off. I, 26. Nam ut adversas res, sic secundas immoderate ferre, levitatis est: praeclaraque est aequabilitas in omni vita, et idem semper vultus, eademque frons, ut de Socrate, itemque de C. Laelio accepimus. ibid. II, 11. et multo maiores Viriathus Lusitanus: cui quidem etiam exercitus nostri imperatoresque cesserunt: quem C. Laelius, is, qui sapiens usurpatur, praetor fregit et comminuit; Brut. 21. De ipsius Laelii et Scipionis ingenio, quamquam ea iam est opinio, ut plurimum tribuatur ambobus; dicendi tamen laus est in Laelio illustrior. At oratio Laelii de collegiis non melior, quam de multis, quam voles, Scipionis: non quo illa Laelii quidquam sit dulcius, aut quod de religione dici possit augustius; sed multo tamen vetustior, et horridior ille, quam Scipio: et, cum sint in dicendo variae voluntates, delectari mihi magis antiquitate videtur, et lubenter verbis etiam uti paulo magis priscis Laelius. Sed est mos hominum, ut nolint eundem pluribus rebus excellere. Nam ut in bellica laude adspirare ad Africanum nemo potest, in qua ipsa egregium Viriathico bello reperimus fuisse Laelium: sic ingenii, literarum, eloquentiae, sapientiae denique, etsi utrique primas, priores tamen libenter deferunt Laelio. de Nat. D. III, 2. non Zenonem aut Cleanthem aut Chrysippum sequor, habeoque C. Laelium augurem eundemque sapientem, quem potius audiam de religione dicentem in illa oratione nobili, quam quemquam principem Stoicorum. Vell. Pat. II, 127. Raro eminentes viri non magnis adiutoribus ad gubernandam fortunam suam usi sunt; ut duo Scipiones duobus Laeliis, quos per omnia aequaverunt sibi; Horat. Serm. II, 1. 71:

> Ubi se a vulgo et scena in secreta remorant
> Virtus Scipiadae et mitis Sapientia Laeli,
> Nugari cum illo et discincti ludere, donec
> Decoqueretur olus, soliti. —

Lucius, vid. Rupilius.

Luscinus, vid. Fabricius.

M.

2. 38. Quid enim censes? si L. Mummius aliquem istorum videret, matellionem Corinthium cupidissime tractantem, quum ipse totam Corinthum contempsisset, utrum illum civem excellentem, an atriensem diligentem putaret? — Vell. Pat. I, 13. Eodem anno, quo Carthago concidit, L. Mummius Corinthum, post annos DCCCCLII, quae ab Alete Hippotis filio erat condita, funditus eruit, uterque imperator, divictae a se gentis nomine honoratus, alter Africanus, alter appellatus est Achaicus; nec quisquam ex novis hominibus prior Mummio cognomen virtute partum vindicavit. Diversi imperatoribus mores, diversa fuere studia: quippe Scipio tam elegans liberalium studiorum omnisque doctrinae et auctor et admirator fuit, ut Polybium Panaetiumque, praecellentes ingenio viros, domi militiaeque secum habuerit; neque enim quisquam hoc Scipione elegantius intervalla negotiorum otio dispunxit, semperque aut belli aut pacis serviit artibus: semper inter arma ac studia versatus, aut corpus periculis aut animum disciplinis exercuit. Mummius tam rudis fuit, ut capta Corintho, cum maximorum artificum perfectas manibus tabulas ac statuas in Italiam portandas locaret, iuberet praedici conducentibus, si eas perdidissent, novas eos reddituros.

N.

Nasica, vid. **Scipio**.

P.

Papirius, vid. **Carbo**.

Papus Aemilius, vid. **Fabricius**.

Paullus Aemilius, c. 6. §. 21.; cf. Liv. XXII, 49. Cn. Lentulus tribunus militum, quum praetervehens equo, sedentem in saxo cruore oppletum consulem vidisset: L. Aemili, inquit, quem unum insontem culpae cladis hodiernae dii respicere debent, cape hunc equum; dum et tibi virium aliquid superest, comes ego te tollere possum ac protegere, ne funestam hanc pugnam morte consulis feceris. Etiam sine hoc lacrimarum satis luctusque est. Ad ea consul: Tu quidem, Cn. Corneli, macte virtute esto? Sed cave, frustra miserando exiguum tempus e manibus hostium evadendi absumas. Abi, nuntia publice Patribus, urbem Romanam muniant, ac prius, quam hostis victor adveniat, praesidiis firment; privatimque Q. Fabio, L. Aemilium praeceptorum ejus memorem et vixisse et adhuc mori. Me in hac strage militum meorum patere exspirare, ne aut reus iterum e consulatu sim, aut accusator collegae exsistam, ut alieno crimine innocentiam meam protegam. Haec exigentes prius turba fugientium civium, deinde hostes obpressere; consulem, ignorantes, quis esset, obruere telis; Lentulum inter tumultum abripuit equus.

Paullus Aemilius Macedonicus, c. 2. §. 9. c. 6. §. 21. c. 27. §. 101; cf. Cic. de senect. c. 6. Nullaene igitur res sunt seniles, quae, vel infirmis corporibus, animo tamen administrentur? Nihil ergo agebat Q. Maximus? nihil L. Paullus, pater

tuus, Scipio, socer optimi viri, filii mei? ceteri senes, Fabricii, Curii, Coruncanii, cum rempublicam consilio et auctoritate defendebant, nihil agebant? Off. II, 22. Omni Macedonum gaza, quae fuit maxima, potitus est Paullus: tantam in aerarium pecuniam invexit, ut unius imperatoris praeda finem attulerit tributorum. At hic nihil domum suam praeter memoriam nominis sempiternam detulit. — Vell. Pat. I. 9. Tum Senatus populusque Romanus Aemilium Paullum, qui et praetor et consul triumphaverat, virum in tantum laudandum, in quantum intelligi virtus potest, Cos. creavit; filium eius Paulli, qui ad Cannas, quam tergiversanter perniciosam reipublicae pugnam inierat, tam fortiter in ea mortem obierat; et ibid 10. Is cum in concione extra urbem, more maiorum, ante triumphi diem, ordinem actorum suorum commemoraret, deos immortales precatus est, ut, si quis eorum invideret operibus ac fortunae suae, in ipsum potius saevirent, quam in rempublicam, quae vox, veluti oraculo emissa, magna parte eum spoliavit sanguinis sui. Nam alterum ex suis, quos in familia retinuerat, liberis, ante paucos triumphi, alterum post pauciores amisit dies.

Philus L. Furius, c. 4. §. 14. c. 6. §. 21. c. 7. §. 25. c. 19. §. 69.; cf. de repub. III. 5. Et Philus: praeclaram vero causam ad me defertis, cum me improbitatis patrocinium suscipere vultis. Atqui id tibi, inquit Laelius, verendum est, si ea dixeris, quae contra iustitiam dici solent, ne sic etiam sentire videare, cum et ipse sis quasi unicum exemplum antiquae probitatis et fidei; neque sit ignota consuetudo tua contrarias in partes disserendi, quod ita facillime verum inveniri putes. Et Philus, heia vero, inquit, geram morem vobis, et me oblinam sciens; quod quoniam, qui aurum quaerunt, non putant sibi recusandum, nos cum iustitiam quaeramus, rem multo omni auro cariorem, nullam profecto molestiam fugere debemus. Atque utinam quemadmodum oratione sum usurus aliena, sic mihi ore uti liceret alieno! et Brut. 28. Iisdemque temporibus L. Furius Philus perbene Latine loqui putabatur, literatiusque, quam ceteri.

Pompeius Q., vid. Sulpicius.

Pyrrhus, c. 8. §. 28. cf. Off. I. 12. cum Latinis, Sabinis, Samnitibus, Poenis, Pyrrho de imperio dimicabatur, Poeni foedifragi, crudelis Hannibal, reliqui iustiores. Pyrrhi quidem de captivis reddendis, illa praeclara:

> Nec mi aurum posco, nec mi pretium dederitis!
> Nec cauponantes bellum, sed belligerantes
> Ferro, non auro vitam cernamus utrique.
> Vosne velit an me regnare hera quidve ferat Fors,
> Virtute experiamur. Et hoc simul accipe dictum:
> Quorum virtuti belli fortuna pepercit,
> Eorundem me libertati parcere certum est:
> Dono, ducite, doque, volentibu' cum magnis dîs.

Regalis sane, et digna Aeacidarum genere sententia.

Q.

R.

Rupilius P., c. 11. §. 37. c. 19. §. 69. c. 20. §. 73; cf. Vell. Pat. II. 7. Crudelesque mox quaestiones in amicos clientesque Gracchorum habitae sunt, sed Opimium, virum alioqui sanctum et gravem, damnatum postea iudicio publico, memoria ipsius saevitiae, nulla civilis persecuta est misericordia. Eadem Rupilium Popilliumque, qui Coss. asperrime in Tib. Gracchi amicos saevierant, postea iudiciorum publicorum merito oppressit invidia.

Rutilius P. c. 27. §. 101.; cf. Off. II. 13. Facillime autem et in optimam partem cognoscuntur adolescentes, qui se ad claros et sapientes viros, bene consulentes rei publicae, contulerunt: quibuscum si frequentes sunt, opinionem adferunt populo, eorum fore similes, quos sibi ipsi delegerint ad imitandum. P. Rutilii adolescentiam ad opinionem et innocentiae et iuris scientiae P. Mucii commendavit domus.

S.

Scaevola Q. Mucius c. 1. §. 1. c. 2. §. 7. cf. Brut. 89. Ego autem, iuris civilis studio, multum operae dabam Q. Scaevolae, P. filio: qui quamquam nemini se ad docendum dabat, tamen, consulentibus respondendo, studiosos audiendi docebat. Atque huic anno proximus Sulla consule et Pompeio fuit, tum P. Sulpicii in tribunatu quotidie concionantis totum genus dicendi penitus cognovimus. Et Orat. I. 45.: Est sine dubio domus iurisconsulti totius oraculum civitatis. Testis est Q. Mucii ianua et vestibulum, quod in eius infirmissima valitudine affectaque iam aetate, maxima quotidie frequentia civium ac summorum hominum splendore celebratur; et de Repub. I. 12. Dixerat hoc ille, cum puer nunciavit venire ad eum Laelium, domoque iam exisse. Tum Scipio, calceis et vestimentis sumtis, e cubiculo est egressus; et cum paululum inambulavisset in porticu, Laelium advenientem salutavit, et eos, qui una venerant, Spurium Mummium, quem in primis diligebat, et C. Fannium, et Quintum Scaevolam, generos Laelii, doctos adolescentes, iam aetate quaestorios.

Scaevola Q. c. 1. §. 1., cf. Brut. 39. Atque ita tum ab his patronis aequalibus, etiam consularibus, causa illa dicta est, cum uterque ex contraria parte ius civile defenderet, ut eloquentium iuris peritissimus Crassus, iurisperitorum eloquentissimus Scaevola putaretur: qui quidem cum peracutus esset ad excogitandum, quid in iure aut in aequo verum aut esset, aut non esset, tum verbis erat ad rem cum summa brevitate mirabiliter aptus. et Off. III. 15. Tollendum est igitur ex rebus contrahendis omne mendacium. Non inlicitatorem venditor, non, qui contra

liceatur, emptor apponet: uterque, si ad eloquendum venerit, non plus, quam semel, eloquetur. Q. quidem Scaevola, P. F. quum postulasset, ut sibi fundus, cuius emptor erat, semel indicaretur, idque venditor ita fecisset: dixit, se pluris aestimare; addidit centum millia. Nemo est, qui hoc viri boni fuisse negat; sapientis, negant, ut si minoris, quam potuisset, vendidisset.

Scipio P. F. P. c. 6. §. 21.; cf. Liv. XXXVIII. 58. P. Scipio Nasica tribunos adpellavit, orationemque habuit plenam veris decoribus, non communiter modo Corneliae gentis, sed propriae familiae suae. Parentes suos et P. Africani ac L. Scipionis, qui in carcerem duceretur, fuisse Cn. et P. Scipiones, clarissimos viros. Eos, quum per aliquot annos in terra Hispania, adversus multos Poenorum Hispanorumque et duces et exercitus nominis Romani famam auxissent, non bello solum, sed quod Romanae temperantiae fideique specimen illis gentibus dedissent, ad extremum ambo pro republica morte occubuisse, quum illorum tueri gloriam posteris satis esset, P. Africanum tantum paternas superavisse laudes, ut fidem fecerit, non sanguine humano, sed stirpe divina satum se esse.

Scipio P. Africanus major, c. 6. §. 21. cf. Liv. XXXVIII. 53. Vir memorabilis: bellicis tamen, quam pacis, artibus, memorabilior prima pars vitae, quam postrema, fuit: quia in iuventa bella adsidue gesta; cum senecta res quoque defloruere, nec praebita est materia ingenio. Quid ad primum consulatum secundus, etiamsi censuram adjicias? quid Asiatica legatio, et valetudine adversa inutilis, et filii casu deformata et post reditum necessitate aut subeundi iudicii, aut simul cum patria deserendi? Punici tamen belli perpetrati, quo nullum neque majus neque periculosius Romani gessere, unus praecipuam gloriam tulit.

Scipio P. Nasica Serapio, c. 12. §. 41.; cf. Leg. III. 9. Quid iuris bonis viris Ti. Gracchi tribunatus reliquit? etsi quinquennio ante, D. Brutum et P. Scipionem consules, (quos et quantos viros?) homo omnium infimus et sordidissimus, tribunus plebis C. Curiatius in vincula coniecit, quod ante factum non erat.

Scipio Africanus minor, c. 1. §. 4. c. 3. §. 10.; cf. de repub. VI. 11. Videsne illam urbem, quae, parere populo Romano coacta per me, renovat pristina bella, nec potest quiescere? (ostendebat autem Carthaginem de excelso et pleno stellarum illustri et claro quodam loco) ad quam tu oppugnandam nunc venis paene miles? Hanc hoc biennio consul evertes, eritque cognomen id tibi per te partum, quod habes adhuc a nobis hereditarium. Quum autem Carthaginem deleveris, triumphum egeris censorque fueris et obieris legatus Aegyptum, Syriam, Asiam, Graeciam, deligere iterum absens consul bellumque maximum conficies, Numantiam excides. Sed quum eris curru in Capitolium invectus, offendes rempublicam perturbatam consiliis nepotis mei. 12. Hic tu, Africane, ostendas oportebit patriae lumen animi, ingenii consiliique tui. Sed eius temporis ancipitem video quasi fatorum viam. Nam quum aetas tua septenos

octies solis amfractus reditusque converterit, duoque hi numeri, quorum uterque plenus, alter altera de causa, habetur, circuitu naturali summam tibi fatalem confecerint; in te unum atque in tuum nomen se tota convertet civitas: te senatus, te omnes boni, te socii, te Latini intuebuntur: tu eris unus, in quo nitatur civitatis salus; ac, ne multa, dictator rempublicam constituas oportet, si impias propinquorum manus effugeris. Hic quum exclamasset Laelius, ingemuissentque ceteri vehementius; leniter arridens Scipio: Quaeso, inquit, ne me e somno excitetis, et parum rebus; audite cetera. Pro Milon. c. 7. Quantum luctum in hac urbe fuisse, a patribus nostris accepimus, cum P. Africano domi suae quiescenti illa nocturna vis esset illata! Quis tum non gemuit? quis non arsit dolore, quem immortalem, si fieri posset, omnes cuperent, eius ne necessariam quidem exspectatam esse mortem? ad Quint. frat. II. 3. Eo die Cato est vehementer in Pompeium invectus et eum oratione perpetua tanquam reum accusavit. — Respondit ei vehementer Pompeius, Crassumque descripsit: dixitque aperte, se munitiorem ad custodiendum vitam suam fore, quam Africanus fuisset, quem C. Carbo interemisset. de repub. I. 9. Nam cum P. Africanus hic Pauli filius feriis Latinis Tuditano cons. et Aquilio constituisset in hortis esse; familiarissimique eius ad eum frequenter per eos dies ventitaturos se esse dixissent: Latinis ipsis mane ad eum primus sororis filius venit, Q. Tubero. et ibid. VI. 24. Quae quum dixisset, Ego vero, inquam, o Africane, si quidem bene meritis de patria quasi limes ad caeli aditum patet, quamquam, a pueritia vestigiis ingressus patriis et tuis, decori vestro non defui; nunc tamen, tanto praemio proposito, enitar multo vigilantius. Et ille, Tu vero enitere, et sic habeto, non esse te mortalem, sed corpus hoc: nec enim tu es, quem forma ista declarat, sed mens cuiusque is est quisque, non ea figura, quae digito demonstrari potest. Deum te igitur scito esse: si quidem deus est, qui viget, qui sentit, qui meminit, qui providet, qui tam regit et moderatur et movet id corpus, cui praepositus est, quam hunc mundum ille princeps deus: et ut mundum ex quadam parte mortalem ipse deus aeternus, sic fragile corpus animus sempiternus movet. Parad. VI. 2. utrum aurum Samnitum, an responsum M. Curii? hereditatem L. Paulli, an liberalitatem Africani, qui eius hereditatis Q. Maximo fratri partem suam concessit? cf. Brut. 21. ad Lael. — Liv. Epit. L. P. Scipio Aemilianus, quum aedilitatem peteret, consul a populo dictus, quoniam per annos consulem fieri non licebat, cum magno certamine suffragantis plebis, et repugnantibus aliquamdiu Patribus, legibus solutus et consul creatus est. Vell. Pat. II. 4. Reversus in urbem intra breve tempus, Manio Aquillio, C. Sempronio Coss. abhinc annos CL., post duos consulatus, duosque triumphos, et bis excisos terrores reipublicae, mane in lectulo repertus est mortuus, ita ut quaedam elisarum faucium in cervice reperirentur notae. De tanti viri morte nulla habita est quaestio: eiusque corpus velato capite elatum est, cuius opera super totum terrarum orbem Roma extulerat caput, seu fatalem, ut plures, seu conflatam insidiis, ut

aliqui prodidere memoriae, mortem obiit; vitam certe dignissimam egit, quae nullius ad id temporis praeterquam avito fulgore vinceretur. Decessit anno ferme LVI.; de quo si quis ambiget, recurrat ad priorem consulatum eius, in quem creatus est anno XXXVI: ita dubitare desinet.

Sulpicius P. c. 1. §. 2. cf. Liv. Epit. LXXVII. Quum P. Sulpicius tribunus plebis, auctore C. Mario, perniciosas leges promulgasset, ut exsules revocarentur, et novi cives libertinique distribuerentur in tribus, et ut Marius adversus Mithridatem Ponti regem dux crearetur, et adversantibus consulibus Q. Pompejo et L. Sullae vim intulisset, occiso Q. Pompejo consulis filio, genero Sullae: L. Sulla consul cum exercitu in Urbem venit, et adversus factionem Sulpicii et Marii in ipsa urbe pugnavit, eamque expulit, ex qua duodecim a senatu hostes, inter quos C. Marius pater et filius, judicati sunt. P. Sulpicius, quum in quadam villa lateret, indicio servi sui retractus et occisus est. Vell. Pat. II. 18. P. Sulpicius, trib. pleb. dissertus, acer, opibus, gratia, amicitiis, vigore ingenii atque animi celeberrimus, cum antea rectissima voluntate apud populum maximam quaesisset dignitatem, quasi pigeret eum virtutum suarum, et bene consulta ei male cederent, subito pravus et praeceps, C. Mario post LXX annum omnia imperia et omnes provincias concupiscenti addixit, legemque ad populum tulit, qua Sullae imperium abrogaretur, C. Mario bellum decerneretur Mithridaticum; aliasque leges perniciosas et exitiabiles, neque tolerandas liberae civitati tulit: quin etiam Q. Pompeii Cos. filium, eundemque Sullae generum, per emissarios factionis suae interfecit.

Superbus, vid. Tarquinius.

T.

Tarquinius Superbus, c. 8. §. 28. c. 15. §. 53.; cf. Liv. I. 49. Inde L. Tarquinius regnare occepit, cui Superbo cognomen facta indiderunt, quia socerum gener sepultura prohibuit, Romulum quoque insepultum perisse dictitans; primores Patrum, quos Servii rebus favisse credebat, interfecit; conscius deinde, male quaerendi regni ab se ipso adversus se exemplum capi posse, armatis corpus circumsepsit. Neque enim ad ius regni quidquam praeter vim habebat; ut qui neque populi jussu, neque auctoribus Patribus regnaret. Eo accedebat, ut in caritate civium nihil spei reponenti metu regnum tutandum esset: quem ut pluribus incuteret, cognitiones capitalium rerum sine consiliis per se solus exercebat: perque eam caussam occidere, in exsilium agere, bonis multare poterat non suspectos modo aut invisos, sed unde nihil aliud, quam praedam, sperare posset. et ibid. 60. Harum rerum nuntiis in castra perlatis, quum re nova trepidus rex pergeret Romam ad comprimendos motus,

flexit viam Brutus (senserat enim adventum) ne obvius fieret; eodemque fere tempore, diversis itineribus, Brutus Ardeam, Tarquinius Romam, venerunt. Tarquinio clausae portae, exsiliumque indictum; liberatorem Urbis laeta castra accepere, exactique inde liberi regis. Duo patrem secuti sunt, qui exsulatum Caere in Etruscos ierunt.

Timon, c. 23. §. 87.; cf. Tusc. IV. 11. Quae autem sunt his contraria, ea nasci putantur a metu: ut odium mulierum, quale in μισογύνῳ Attilii est; ut in hominum universum genus, quod accepimus de Timone, qui μισάνθρωπος appellatur; ut inhospitalitas est; quae omnes aegrotationes animi ex quodam metu nascuntur earum rerum, quas fugiunt et oderunt.

Tubero Q., c. 11. §. 37. c. 27. §. 101.; cf. Brut. 31. Et quoniam Stoicorum est facta mentio, Q. Aelius Tubero fuit illo tempore, L. Paulli nepos, nullo in oratorum numero, sed vita severus et congruens cum ea disciplina, quam colebat; paulo etiam durior; qui quidem in triumviratu iudicaverit contra P. Africani, avunculi sui, testimonium, vacationem augures, quo minus iudiciis operam darent, non habere; sed ut vita, sic oratione durus, incultus, horridus, itaque honoribus maiorum respondere non potuit. Fuit autem constans civis, et fortis, et in primis Graccho molestus, quod indicat Gracchi in eum oratio. Sunt etiam in Gracchum Tuberonis; is fuit mediocris in dicendo, doctissimus in disputando.

V.

Viscellinus, vid. Cassius.

INDEX NOTARUM.

Indicat prior numerus paginam, posterior paragraphum; littera a columnam sinistram, b dextram.

A.

B.

C.

D.

E.

F.

G.

H.

I.

L.

M.

N.

O.

P.

Q.

R.

S.

T.

U.

V.

Z.